

J. A
Saraceni
1589








I. ANTONII
SARACENI LVGDVNAEI DE PESTE
Commentarius.

EDITIO ALTERA:

Cui recèns acceßit selectorum tam externorum quàm internorum remediorum particularis descriptio, quæ quidem ad pestem arcendam curandámve plurimùm valere & ratione compertum & varijs experimentis comprobatum est.



CIↃ. IↃ. XXCIX.
APVD IOAN. TORNÆSIVM TYP.
REG. LVGDVNENSEM.

IMPRIMIS OBSERVANDO PATRI D. PHIliberto Saraceno Medico clarissimo, I. Antonius s. p. d.

NON semper hoc vsuuenit, imprimis obseruande Pater, vt in quo plures elaborauerint, id accuratiùs excultum omnibúsque suis partibus ac numeris expletum absolutúmque sit. Rem ita habere cùm in quamplurimis alijs, tum vel maximè in hoc vulgari tritóque quod in manus sumsi de pestilentia argumento videre facile est. Nam tametsi multa literarum monimentis tradidere tum ex antiquis tum è recentioribus Medicis non parum multi, quorum auctoritas & amplitudo nos à scribendo deterrere poterat: rem tamen omnem non modò non compertam planè aut satis exploratam esse, sed & quæ maiorem accuratiorémque inuestigationem desiderent longè plurima superesse abundè testantur propè omnium variæ inter se discrepantésque sententiæ: dum alij aliam pestis naturam constituunt, nec eam tamen ipsam definiendo quisquam satis explicat, curandi rationem

alij aliam ineunt, ac propè quotquot sunt omnes pestilentes morbos cum cæteris ex putredine ortis perperàm confundunt, & ita confundunt, vix vt quisquam perlectis omnibus quid sequi, quídve sentire potißimùm debeat, satis certus esse poßit. Amplam adeò, adeoque plenam esse controuersiæ de peste disputationem cùm & ipse animaduerteres, Parens optime, me primùm amicè hortatus es, deinde recusanti deprecantíque pro tuo iure imperasti etiam, vt meam ipse de peste sententiam sincerè proponerem, & in minuendas dijudicandásque controuersias aliquid operæ conferrem. Equidem desperatione debilitatus, quòd id assequi posse me certò diffiderem, quantum potui diu multúmque restiti. Mihi nouitio tyrunculo durum certè videbatur suscipere tantam rem, quantam non modò facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti vix esse arbitrabar eius, qui tui similium doctorum prudentiúmque virorum reprehensionem pertimesceret. Tandem verò maiore studio hortanti ac penè quotidiano conuitio efflagitanti non parere cùm nefas esse ducerem ei, quo neque auctoritate quisquam plus apud me valere potest aut debet, neque voluntate: audendum aliquid, neque tam contentionis quàm veritatis indagandæ studio, non tã perficiundi spe, quàm experiundi voluntate, inertis otij mei non prorsus inutile hoc opusculum conscribendum duxi: in quo magnum opus & arduum quod exposcebas pro tenui mea facultate præstare conatus sum: sed quid ipse præstiterim, tuum & aliorũ esto iudicium. Mihi quidẽ, tum vt abs te rogatum & recusantem isthæc aggredi me

ausum testificarer, tum ne actum egisse cuipiam viderer, hæc in ipso libelli limine paucis profiteri placuit. Nullus est, fateor, eorum de peste librorum, quos præ manibus habui, per quem non aliquid profecerim. Attamen inter cæteros omni dignitate princeps Fernelius libro de abditis rerum causis altero mihi ad aptè distinguenda pestilentium morborum genera viam omnem quasi præmõstrauit atque præmuniuit. Eum ideò vt in plerisque alijs, ita & hac in parte pro eo ac debui secutus sum. Quòd si quando ab eo dissensi, id tamen indicare nolui: vti nec aliorum opiniones à quibus discedere coactus sum refellere, ne libellus iustum voluminis modum excederet. Scilicet ad te scribentem decuit & breuitate & veritate contentum esse. Cæterùm cùm sibi liber ipse vindicẽ pararet, cuius quasi clypeo munitus tectúsque in manus hominum veniret, tu vnus occurristi, Pater pijßime, cuius in fidem sinúmque sese reciperet. Aequum certè fuit tibi, qui idem mihi Parens optimus & secundùm Deum opt. max. studiorum meorum auctor fautórque semper vnus extitisti, cuíque gloriam dignitatémque meam charam semper fuisse perspexi, tibi, inquam, vni quantumuis nimiùm præcoces nec ad Cleanthis lucernam euigilatas primitiolas hasce consecrari. Et eundem ego patronum atque defensorem fore mihi anteà persuaseram, qui ipse mihi & aggrediundi & in aspectum lucémque proferendi operis auctor fuerat. Isthæc igitur, qualiacunque erunt, boni consulas te etiam atque etiam rogo. Quod si, vti confido, fecisse te animaduertero, addetur animus ad alia meliora, grauiora

uiora & Reip. literariæ vtiliora paranda. Sin minùs, volo mihi tecum commune crimen esse, vt imparis atque iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti: in quo tamen iudicij nostri errorem laus tibi dati muneris compensabit. Sed interim vale, Pater obseruande, & me, sicuti facis, ama.

Ex musæolo nostro Kalend. Nouemb.

CIƆ. IC. LXXI.

PHI

PHILIBERTVS SARACENVS I. ANTONIO *charissimo filio, S.*

RES me duæ maximè mouerunt, fili, te qui & cura vacares & negotio ad scribendum vt hortarer quasiq; impellerem. Vna est multorum iam annorum venenata pernicies illa, quę Geneuensium ciuitatem hanc rerum ferè atque hominum penuria propè deformauit. Altera ex hac orta, est in ciues Deo semper grata virtutum q; omnium fundamentum pietas. Hunc ipse ego laborem haud inuitus suscepissem, si vel mihi vllum tributum esset vacuum tempus, vel in spe fuissem nec defuturum firmum iudicium, nec efficiendi facultatem. Sed videbam vt in vita, sic in hoc vt & quouis alio disputandi genere considerandum esse, quid deceat: quod ipsum quia & in re qua de agitur positum est, & in personis tum eorum qui scribunt, tum eorum qui scripta legũt, perdifficile opus omnino & arduum conari visum non est: eoq; minùs quòd deco-

ri ſanè ipſius moderatorem illum & quaſi temperatorem magni iudicij, ſummæ etiam facultatis virum eſſe debere non neſcirem: quæ & in me ſentio quàm ſint exigua, & tempora timeo inimica virtuti. Eſt enim huius temporis atque ordinis labes quædam & macula, virtuti nominiq; inuidere, velle ipſum florem dignitatis extinguere. In ſumma & ob negotiorum ſubinde occurſantium varietatem, & mihi diffiſus reiq; difficultate deterritus minùs experiri volui, quid efficere aut quò progredi poſſem. Quid plura? me tibi excuſo in eo ipſo, in quo tibi iuſta eſt excuſatio. Quod enim, dum hortanti mihi non parere nefas eſſe ducis, hoc es aggreſſus coactu meo, quod alioqui vix vnquã attigiſſes, iniuſti oneris impoſiti mea culpa eſt: tua recepti non eſt vlla, ſi, dum Parenti vtilia & honeſta præcipienti ſatisfacere vis, arduum quiddam profiteri auſus es, & tale quod vtinã poſſis: te φιλιάτροις medendi præcepta & quaſi vias quæ ad arcendam curandamq; peſtilentiam ferrent eſſe traditurum. Siue igitur meum ſtudium hoc abs te volumen expreſſit, ſiue ſtimulos addidit peruagatiſſimus ille verſus, qui vetat artem pudere proloqui quam factites: illud vt pium laudandumq; eſt, ita & hoc quoq; laude dignum colendumq; ſcribendi genus. Nam ſi omnium magnarum artium ſicut arborum altitudo te delectat, radices ſtirpesq; (quãdo eſſe illa ſine his non poteſt) fouendæ etiam colẽdæq; ſunt. Nec periculum eſt, ne quis pu-

tet

tet in Medicina magna arte & glorioſa turpe eſſe docere alios id quod tibi fuit honeſtiſſimum diſcere. Rem eandem facere, vt Italis in prouerbio eſt, quàm vel dicere vel docere illuſtrius: nec par gloria ſequitur verborum oratorem & actorem rerum. Medicis quæſtuoſum alterum: operoſum vtrunque eſt & hominis perdiligentis. Videtur nihilominus actioni lingua cedere, quæ & ipſa tamen nec operæ eſt nec curæ minoris. Cæterùm magnæ vtriuſque curæ magna merces eſt: ſed linguæ nonnullis abiectior. Dignitatem, inquiunt, docere non habet: certè, ſi quaſi in ludo. Sed ſi vt Medici, quorum intereſt ea noſſe, corpora aperiendo, vt qui ſit ſitus partiũ, quam vim quæq; pars habeat & videant ipſi & alios doceant: ſi percontando, ſi vt in concionibus monendo cohortandoq;, ſi interdum etiam vnà legendo, audiendo, neſcio docendo etiam aliquid aliquando ſi poſſis vel meliores facere vel ſapientiores, cur nolis? An verbi gratia Medicum eſſe te, & eum qui poſſis præcipere & dare conſilium laude dignum eſt, vt eſt: quibus ea parari poſſint per quæ & diſcentibus ſatiſfacias & conſulentibus docere, laudandum nõ eſt? Iam vt veritate amicitia, fide ſocietas colitur, ſic officij duxi pietate prolem omnémque ſanguinis coniunctionem atque propinquitatem colere, teq; pro eo ac debeo admonere, vt Medici, tua inquam vita Medica planè, hoc eſt, honeſti, parſimonię, ſobrietatis, cõtinentię ma-

 giſtra

gistra sit:neq; imitari velis malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere Medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: quin victu omnino deprauato in morbos incidunt plerunque insanabiles. At licet infamis intemperantiæ insolens, & semper in laude sis versatus: tamen, quod proprium est veræ charitatis atque amicitiæ, monere non desinam, vt contrà atq; isti quæ tute aliis præcipere debes, ea tute tibi subiicias. Quòd si perturbationis cuiuspiam feruor concitatioq; animi tanquam in venis medullisq; insideat, & solicitè cauendum ne inde nascatur morbus & ęgrotatio, quę auelli inueterata vix possit, & adhibenda tibi continuò quasi quædam diuina medicina, quæ sanet eam cupiditatem. Hæc quia beneuolè & dicuntur & fiunt, amicè velim & accipias & facienda putes. Quò verò sis, fili, alacrior ad Medicinam faciendam, sic habeto: ad statum tuum tuendum si virtute, si pietate valueris, non solùm in Medicina, dono haud dubiè diuino, sed etiam in principis illius Dei qui omnem hunc mundum regit benignitate tibi opum firmiq; præsidij satis esse. Vale.

ΦΡΑΓ

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΠΟΡΤΟΥ ΤΟΥ Κρητὸς ἐπίγραμμα.

Ἄλλος ἀκεστορίης πινυτόφρονος ἄλλον ἄεθλον
Ἤνυσε, καὶ κλέος ἠδ' ἤρατ' ἐπουράνιον·
Νῦν δ' Ἀσκληπιαδῶν ἱερὸς γόνος ἐξετέλεσσεν
Τὸν, πάνυ πολλὰ καμὼν κρείττονα βασκανίης,
Φιλλυείδαν οἴκοι πατέρα χθών· ἔῤῥε κάκιστε
Μῶμε μακρὰν, καθαρῶν τῶνδ' ἀπέχου σελίδων.
Μηδὲ σύ μοι προφέρειν ἐτέων μάλα βαιὸν ἀριθμὸν,
Πάντα φρενῶν ὄζει τῶν πολιοκροτάφων·
Ἐν πινυτῇ, σοφίη πολυδαίδαλος, ἐν δ' ἄρα τέχνης
Ἀσφαλέος γε κανὼν, εὐφραδίης τε φάος.
Εἶδε νόσων ἰδέας, ἴδεν αἴτια, κεῖνε κατ' αἶταν,
Σήματα δεῖξεν τῶν δ' εὖ, καὶ ἐπισταμένως·
Πυρφόρον ἐν δὲ θεὸν, λαῶν φθόρον, ὦ μέγα θαῦμα,
Λυσσώδη λοιμὸν παῦσεν ἑῇ σοφίῃ·
Χαῖρ' οὖν ὦ Ροδάνου θεῖον κάρα, τῷ Σαρακηνὸς
Πῦρ, ὃ σύγ' οὐ ῥεέθροις παύσαο ἀενάοις,
Σβέννυσ', ἀλεξικάκοις, ὅσσα φράζει φάρμακα πολλά·
Καὶ σὺ χάριν θέλ' ἔχειν ἀθάνατον Γενέβη.

Φ Ρ. τοῦ Συλλαιπουργίου.

Λόγος παλαιὸς, αἰετῶν τρήρωνας ἐκ πελείας
Οὐκ ἐκγενέσθ' ἂν πώποτ', οὔτ' ἐξ ἀλκίμων λεόντων
Πτῶκας λαγωοὺς φύμεναι, ἢ δορκάδων γένεθλα.
Ὣς καὶ σὺ γεννήτου σοφοῦ σοφὸς ἐκπέφυκας υἱὸς,

Ἰήτο

Ἱήτορός τ᾽ ἐμπειράμου ξυνοῦ ἴδρις ἰάσατο.

Σὺ δ᾽ εἰ τάδ᾽ ἀρνῇ, μῶμ᾽, ἰδοὺ τοδί σ᾽ ἐπισομίξει

Τὸ βιβλίον, τοὺς σοὺς ψόγους λαλισάτους ἐλέγξον.

Τῆς σῆς τε γὰρ μωμήσεως ὅρους ὑπερβέβηκε,

Σχεδὸν δὲ καὶ μιμήσεως τὰ πείρατ᾽ ἄκρ᾽ ἁπάσης.

Πάντων γὰρ ἀκριβεστάτως εἴδη διαφοράς τε

Λοιμοῦ διδάσκει, κ᾽ αἰτίας, τοὺς πυρφόρους τ᾽ οἰστοὺς

Αὐτοῦ φυλάξαι σὺν θεῷ πῶς δυνατὸν, ἠδ᾽ ἀλέξαι·

Σύ γ᾽ οὖν σιώπα μῶμε, μὴ τοῖς σοῖς ψόγοις ὀρινθεὶς

Ὁ Φοῖβος οἷς τοξεύμασιν κἀνοι σ᾽ ἀγνωμονοῦντα.

Τὸν ἄνδρα γὰρ τονδὶ βροτοῖς ἄλκαρ σέβας τ᾽ ὄπασεν·

Νέον μὲν, ἰδμοσύναις δὴ ὅμως πολλοὺς ὑπὲρ γέροντας

Κεκασμένον· μοῖραι δέ μιν εἰ μὴ φθονῶσιν ἡμῖν,

Γήρως ἐφιχθεὶς ἔσεται Ἀσκληπιαδῶν ἄριστος.

Τοῦ αὐτοῦ.

Τίς βίβλος αὕτη; βίβλος ἐς ἰατρική.

Ποίης δὲ νόσου; τοῦ πανταγελωτάτου

Παθῶν ἁπάντων τὰ φατίζουσ᾽ ὀξέα·

Λοιμοῖο φημὶ, τόν τε πυρφόρον θεὸν

Καλοῦσιν, ἠδ᾽ ἑκάεργ᾽ Ἀπόλλωνος βέλη.

Τοῦ δὴ ἄρα τοῦ παθήματος τὰς αἰτίας,

Εἴδη τε καὶ διαφορὰς κἀλέξια,

Εἰ γνώμεναι ἀκριβῶς θέλεις, τὸ βιβλίον

Τοδί σ᾽ ὑδηγήσει διδάξει τ᾽ ἀπλανῶς.

Τίς δὴ ἔσθ᾽ ὁ ξυνάδας ὁ ταῦτα γραψάμενος;

Νέος τις, ἀνδρὸς ἰατροῦ σοφωτάτου

Υἱὸς σοφὸς, τοῦ φυτοῦ ἄξιον φυτόν.

Τὸν Φοῖβος ὁ βροτοὺς ἑοῖς τοξεύμασιν

Βάλλων, πόρεν καὶ βλημάτων ἴητρα·

Νέον μὲν ὄντ᾽, ἰατρικῇ δὴ ἐμπειρίῃ

Πολλῶν γερόντων κρείττον᾽ ἠδ᾽ ἀντάξιον.

D. PH.

D. PH. SARACENO PERITISsimo & clariss. Medico I. ANTONII SARACENI istius Commentarij scriproris Patri: & eidem I. ANTONIO SARACENO doctissimo iuueni, paternæ & doctrinæ & gloriæ verè hæredi, I. SERRANVS.

Χαῖρε γέρον, γλυκερῆς γλυκερὸς θεράπων ὑγιείης
  Τοῖος, ἐραστὸς ἔης πᾶσιν ἐπιχθονίοις·
Ὃς δὴ ζῶν ζωὴν θνητῶν κεδνῶς ἀτιτάλλεις,
  Δεικνὺς καὶ νούσῳ καὶ θανάτῳ πόλεμον·
Εἰ μὴ καὶ Θεὸς ἄλλο βροτοῖς ἐπιτεκμήραιτο,
  Πάγχυ γλύσιο, γέρον, καὶ θανάτῳ θάνατος.
Αὐτὰρ δὴ θανάτου κοινὸς νόμος ἀνθρώποισιν,
  Οὐδεὶς κἂν συγεροῦ ἄμμορός ἐστι μόρου·
Καί σε μόρῳ, τοῖόν περ ἐόνθ', ὑποχείριον εἰδὼς,
  Ἄλλο βροτοῖς δῶρον δῶκας ἀπειρέσιον,
Σόν γε τέκος τέχνης ἐπιδείγματα ταυτὰ διδάξας,
  Κηρ ξαι νούσῳ καὶ θανάτῳ πόλεμον.
Εὖ γε γέρον τριπόθητε, πόσους προΐαλλες ἀέθλους,
  Τόσσον ἐπισκήψας ἀντίπαλον θανάτῳ!
Εἰ νε ς ἀθλητής γε πελώριον ἐξεναρίζει
  Λοιμὸν, ἐρισθενέος σμερδνὸν ἄκοντ' ἀΐδεω·
Λοίσθιον αὖ νούσων θιάσῳ ἄταν ἐπιάψῃ,
  Πῶς δ' οὐ, τοῖος, ἔῃ καὶ θάνατος θανάτῳ;
Εἰ γὰρ τόδ' ἐμποδίει μοιρῶν νόμος, ἀλλ' ὅγε πάμπαν
  Εἰσαεὶ εὐράμμος τὸ κλέος ἀθάνατον,
Καὶ δὴ καὶ μνήμην ζωθάλμιον ἐγγυαλίξας,
  Τίφθ' ὅδε οὐκ εἴη τοῦ θανάτῳ θάνατος;
Χαίρετον ἄνδρε σοφὼ, θανάτου μεγαλωστὶ πέλεθον
  Νικητὰ, ζῶντες κύδει ἀθανάτῳ.

PAVL

PAVLI MELISSI SCHEDII AD IANVM ANTONIVM Saracenum Epigramma.

TAm bene, tam scitè pestis causasq́ genusq́
Corporeæq́ doces lurida signa luis,
Quoq́ cauenda modo, curandaq́ singula, monstras
Pæonia facilem prouidus arte viam:
Vt si (credo equidem) Podalirius atque Machaon
Talia cognossent ad Simoëntis aquas,
Te sibi prætulerint, palmam, Saracene, ferendo:
Tu iuuenis quanuis, esset vterque senex.
Quin (testor manes amborum, animasq́ Pelasgas,
Funere quas illic mersit acerba lues)
Te nisi tunc Grayis iratus Apollo negasset,
Millia tot vita non spoliata forent.

ANTONIVS FAYVS I. A. Saræo.

Plurima mortales grauiter populantia monstra
Amphitryoniadæ sunt superata manu.
Tetra lues, monstrum cunctis immanius vnum,
Arte tua tandem, docte Saræe, cadit.
Par laus est vtrique: sed est victoria dispar:
Alcides claua: tu superas calamo.

IDEM EIDEM.

Quæ gignant, signent, pestem quæ deniq́ sanent,

Expr

Expromis libro, docte Saræe, breui.
Et iam, mortales multos quæ sæua peremit,
Ipsa tuo tandem victa labore perit.
Ergo seni quondam Coo data dona, iuuentæ
Accedent meritò, vel meliora, tuæ.

IDEM DE EODEM.

Multa diu tentata viris, senibúsque peracta
En ab eo, quem vix prima iuuenta tenet.
Scilicet humano reliqui scripsere: sed iste
Phœbæo planè concitus ingenio.
Ergo mortales, alijs: huic, tempora lauro
Ipse tua iam iam cingito, Phœbe, manu.

IDEM LECTORI.

Sat, Lector, tibi sit, libellus iste
Quæ præcepta docet, probè tenere:
Et rescire nihil ijs deesse,
Quod vis ingenij scientiæq;
Ingenti valet assequi labore.
Vsum, tu sapiens, alijs relinque.
Opta vel mage nullus vt sit vsus.
Non fies ideò grauis Saræo,
Vsum qui putat hunc sui libelli
Grandem, si placeat tibi, sine vsu.

Sum

Summorum tractatus huiusce Capitum Elenchus.

I. ANTONII SARACENI LVGDVNÆI DE Pestis natura, præcautione curationéque Commentarius.

CAPVT I.

Qui dicantur morbi pestilentes.

ETSI morborum genera omnia sunt hauddubiè Dei flagella, quibus iacẽtes torpentésve nos ad officium excitat atque stimulat, aut alioqui errantes ac deuios in viam reuocat: ea tamen est generis humani cõditio, ea tum stupiditas tum etiam prauitas, vt leuioribus quidem morbis nihil aut certè minimùm, grauioribus duntaxat magis afficiatur, iisq; potissimùm, quibus ad insignem perniciem accedit, vt contagione in vicinos prorepant & de repente plurimos è medio tollant. Quamobrem hoc genus longè grauissimorum affectuum Deus opt. max. velut iratus, dum lubet ac videtur excitandis nobis vtile simul & necessarium, spargit in vulgus, per quos quodcunque est inter mortales etiam arctissimum cognationis, necessitudinis at-

Morbi Dei flagella.
Eccles. 38.15

Deut. 28.

que coniunctionis vinculum, id omne ſic plerunque diuelli rumpíque animaduertimus, vt humanitate omni depoſita feritatē induiſſe videantur, deſerántque quos conſeruare tueríque debeant. In hoc numero ſęuitię & malignitatis facilè primas tenet Peſtis, vt quæ vltoris numinis ceu character, immanis ac furibundæ inſtar belluæ paſsim inuolet in vulgus, nec tantùm familias aliquot, ſed & interdum ciuitates ac regiones totas miſerè depaſcatur atque conficiat. Eius verò naturam & eſſentiam cum ſit in animo omnibus quaſi veſtigiis indagare ac perſcrutari penitùs, operæpretium facturum me duxi, ſi priùs morborum differentias omnes quæ huic instituto noſtro conueniant, accuratiùs certa quadam ſerie perſecutus fuero, eáſque ſigillatim propriis notionibus explicuero.

Peſtis vltoris numinis character.

Gal. in libr. de ther. ad Piſonem.

MORBORVM itaque qui vagantur in multos genera duo. Alij enim ſunt σποράδες, alij κοινοὶ ſiue πάγκοινοι, aut etiam πανδήμιοι: illos vulgus interpretum particulares ſeu diſperſos, hos vniuerſos ſeu communes appellamus. Ac σποράδας quidem ſeu σποραδικοὺς vocant Græci, quaſi ſingulares & priuatos vniuſcuiuſque, inter ſeſe ſpecie formâque diſsimiles, vt qui non ex communi cauſa orti, ſed ex proprio cuiuſque vitio & errore varios ſparſim prehendant:

Morborũ in multos vagantium differentia.

Gal. 1. com. in 1. Epid.

Diſperſi morbi.

Gal. in 1. de rat. vict. ac. part. 9.

dant: hunc, verbi gratia, calculus, iſtum tabes, illum pleuritis. Siquidem huiuſmodi omnes morbi quouis tempore & loco plùs minùs gigni conſueuerunt. Hiſce velut ex diametro πάνδημοι opponũtur, morbi videlicet qui eiuſdem cùm ſint generis, in plures cuiuſcunque ætatis, ſexus, temperamenti ac vitæ conditionis homines eodem tempore æquè ſæuiunt atque debacchantur. Quando verò (inquit Hippo. in hanc ferè ſententiam) plures vno morbo corripiuntur, idq́ue eodem ex æquo tempore, cauſam ei quod omnium maximè commune eſt, quóque omnes promiſcuè vtimur, aſcribere oportet: aëri puta, quem pariter omnes ſiue inſpiratu per ſpiritalem fiſtulam ſeu canaliculam, ſiue perſpiratu per vniuerſi corporis habitum attrahimus. At nihilominus haudquaquã aër vnus (etſi νοσερὴν ἔχων ἀπόκρισιν) communes morbos inferre ſolet (quod eum in locum præclarè docet Galenus) ſed etiam quæcũque alia in communibus cauſis recenſeri poſſunt: veluti potus aquæ impuræ aut aliter inſalubris, cibus à cœli intemperie aut alia occaſione vitiatus, fames, loci natura & ſi quid eſt eiuſmodi quod ægrè vitare poſsis. Eò igitur differũt πάγκοινοι ſiue πάνδημοι ἀπὸ τῶν σποράδων, quòd horum quidem ſit cauſa propria & peculiaris, vtpote incauta victus

Gal. li. b def. med.

Pandemii.

Lib. de nat. hu. 2.

Gal. in 2. de na. hu par. 3.

ratio, vel humorum intemperies aut corruptela, illorum verò communis & vniuersa, vti primùm Hipp. & ab hoc Galenus variis in locis haud obscurè testátur. Et quoniam quidem communes illæ causæ, aut sunt huic vel illi regioni natiuæ, propriæ ac perennes, aut ascititiæ miniméque perpetuæ, & ex his quidem aliæ ad victus rationem, aliæ ad aëris vitium referuntur: hinc etiam variæ morborum πανδημίων exurgunt differentię. horum enim alij ἔνδημοι sunt & nominantur, seu ἐπιχώριοι, alij πάνδημοι simplices. Tertium genus eorum est qui ἐπίδημοι siue ἐπιδήμιοι dicuntur.

2. De natu. humana. Tum eum in locum, tum etiã com. in 1. Epid. statim in principio.

Pandemiorum differentiæ.

Ενδημίους quasi patrios seu vernaculos eos rectè dicimus, qui perpetuò & quauis anni tempestate certam regionem obsident, nequaquam lethales, attamen ex proprio regionis aëre, cibo aquáve aut montium vicinia nati: ac de his certè quidem agere potissimùm videtur Hippocr. libro de aëre, locis & aquis. Huic morborum generi ascribuntur, nostris quidem Geneuensibus ex cœli grauitate κατάρροι, βρογχοκήλη verò Carnis, Alpinis omnib⁹ & Allobrogibus familiaris, struma frequens Hispanis, hydrocele Tectosagis haud secus atque carbunculus, φθίσις Lusitanis, Vasconibus gibbus & λυκανθρωπία, Apulis icterus, Indis quibusdam Pua morbus venereo haud multùm absimilis. Sic

Endemii. Gal. com. 1. in 1. Epid.

λέπρα olim Iudæis, vti ſacroſancta ſcripta teſtantur: Romanis, quemadmodum refert Galenus, ἡμιτριταῖος, vt & Athenienſibus podagra, AEgyptiis ἐλεφαντίασις infeſta: quibus de rebus ita quoq; Lucretius:

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypti medio, nec præterea vſquam.
Atthide tentantur greſſus, oculorum in Achæis
Finibus: inde aliis alius locus eſt inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id aër.

Lib. 6. poëm.

Sunt verò ij ſimplices πάνδημοι, quorum cauſa eſt in cibi potúſve vitio, ſed quod tamen perpetuum non ſit: tales in caſtris ſæpenumerò contigiſſe memoriæ proditum eſt. Eius ordinis cenſentur febres, alui profluvia, tubercula, aliáque id genus valetudinis incommoda ex aquę ſtagnantis cõmuniore potu profecta, in qua quidem ſint tetri odoris aut etiam venenatarum ſtirpium, coriorum, cadauerum, aliarúmve ſordium computreſcẽtium inquinamenta macerata. Eôdẽ pertinent quotquot ex vſu nata ſunt frugum ſyderatarum, quæque robiginem ſeu æruginem (quam ſegetum maximam peſtem nominat Plinius) ſenſerint, aut alioqui nõ idoneo loco repoſitæ ſitum contraxerint: ſemiputridorum item leguminum, fructuúmve immaturorũ aut putrentium, glandium, bulborum aliarúmve radicum planè κακοχύμων, obuiorum denique id genus alimen-

Pandemii ſimplices.

Gal. com. 2. in 2. de nat. hum.
Hipp. 2. Epide. ſect. 4.
Lib. 18. cap. 17.

alimentorum quæ aut hominibus vetita, aut certè prius inusitata fuerint, sed quibus tamẽ per difficultatem annonæ summámque inopiam rei frumentarię vulgus famem solari nitatur. Saguntinæ non absimilis fames ea fuit, quâ Massilienses ex diutina conclusione grauiter conflictatos fuisse refert Iulius Cæsar: talis & ea qua scribit Galenus gentes plurimas Romano parẽtes imperio ad internecionem diutissimè laborasse. His rursum ea immanior, in qua matres ad eam erant inopiam redactæ vt (quæ res fuit nõ visu modò fœda, sed & auditu) liberos natura charissimos vorare cogerentur. Sed omnium ea longè miserrima, per quam etiam medullæ ossium humanorum recens ex terra erutorum in cibum venêre, si Auenzoari credimus.

De bello ciu. lib. 2.

Lib. de cib. boni & ma. suc.

4. Reg. 6.

Sic Euse. in hist. Eccles. Iosephus de bel. Iud. lib. 7. cap. 3.

3. Theisir.

Propositis igitur prioribus generibus duobus, causas adiunximus vtriusque generis: superest ἐπιδημίων cõsideratio, quos populares aut etiam vulgares vertit vulgus Interpretum. Atque ij sunt, qui statis anni temporibus seu vna in regione seu etiam in pluribus insolentes tantoperè sæuiunt, vt multos simul ac semel adoriantur, ex solius ambientis vitio nec eo vernaculo, verùm ascititio ducentes originem: seu cœlitùs is à malignis & infaustis syderum aspectibus certísve permistioni-

Epidemii.

Gal. 1. de ra. vict. in acut. comm. 9.

bus

bus vitietur, ſeu à noxiorum ventorum perflatibus, ſeu à tetris ex aquis terráve halitibus, ſeu à grauibus dudum recluſarum voraginum, antrorum, ſpecuum, aut feralium ac verè χαρωνείων barathrorum expirationibus, vaporibúſve ex latrinarum aut cloacarum colluuie ſublatis, ſeu etiam ex vehementibus aëris qualitatum mutationibus ac tempeſtatum inordinatis cōſtitutionibus, ſeu denique ex eorum qui ſuopte vitio laborarint frequenti expiratione atque tranſpiratione, aliíſque id genus cauſis quas ſuo loco deinceps diligentiùs expendemus. Ex his qui pernicioſiſsimi ſunt ac proinde lethales adeò, vt ægrotantium maiorem partem interimant, λοιμώδεις, hoc eſt, peſtilentes dicuntur: qui certè quidem omnes non è ſolis inhæreſcente qualitatibus aëris vitio, ſed à venenato potiùs inquinamento eidem inſperſo prodeunt, quod cum ſpiritu intrò ſubiens cor viſcus nobiliſsimum & calidiſsimum inficit, ex quo cenſet Hippoc. morbos fieri vehementiſsimos & pernicioſiſsimos, qui vires omnes vniverſúmque corpus proſternant: ſiquidem afflicto validiſsimo membro, & reliquum quoque corpus ſimul affici conſentaneum eſt. Cæteri verò mitiores ex ſubitis, inſignibus ac diuturnis aëris commutationibus humores perturbātibus, tempeſtatúmve in-

Gal. com. 2. in 2. de nat. hu.

Epidemiorū differentia.

Gal. 1. de ratio. vict. in acut. com. 9. & com. 3. in 3. Epid. tex. 20.

2. de nat. hu. par. 5.

Epidemii ſimplices.

ordinatis exuperantiis orti, generis nomine ſimplices ἐπιδήμιοι nuncupantur. Horum rurſus alij conſueti, inſolentes alij. Haud inſolitis annumerantur papulæ illæ ac pituitæ eruptiones, quæ Arabum interpretibus variolę ſunt & morbilli (hos quidem ἐξανθημάτων generis nomine Græci deſignarunt, illas verò ἐκθύματα nuncuparũt) dyſenteriæ, λειεντερίαι, διάρροιαι, phrenitides, peripneumoniæ, anginæ, ophthalmiæ quædam, pleuritides, tubercula, artuum dolores, febres acutæ & alij ſimiles morbi ab Hippocrate tum in epidem. tum & aphor. ſect. 3. commemorati: qui quidem omnes quà ſunt ἐπιδήμιοι, nonnihil reſipiunt malignitatis vulgaris, hócque vno ab iis internoſcuntur, quos modò diſperſos nominauimus. Inſolentibus epidemiis accenſeri poſſunt παραπληγία illa omni memoria priùs inaudita, quam narrat Hippo. in Thaſo contigiſſe: mentagra quam demùm imperante Tiberio Claudio in Italiam irrepſiſſe teſtatur Plinius. Adhæc flagrantes ardores, ſtupenda illa inſaniæ ſpecies quæ haud ita pridem nominatim maximéque in Germania plurimos inuaſit, hominibus loco nullo conſidentibus, ſed ὀρθοστάδην diſcurrentibus, & choreas ad extremum vſque ſpiritum (niſi per vim externam abſtraherentur) ducentibus: hinc apud eam gentem choreæ D. Viti

1. Epidem.

Lib. 26. na. hiſt. cap. 1.

D. Viti nomen obtinuit. His & adde grauedinum anhelosarum cum tussi nouum id genus, quod anno M. D. L V I I. priùs vero anno M. D. X. in vniuersam Galliã ac totam propemodùm Europam, ne dicam regiones orbis omnes, peruagatum est, Gallorum vulgo *Coqueluche* propterea dictum, quòd qui eo conflictarentur, passim ferè cuculione caput amicti visebantur. Eôdem referas ephemeram eam febrim quam ὑδρωπύρετον dixêre, quæque nõ multò ante nostrorum hominum memoriam, nempe ab anno M. D. X X V. ad annum M. D. X X X. magno terrore in Britãnos, Belgas & Germanos populatim grassabatur: alios deniq; non paucos morbos hisce affines qui veterũ obliuione deleti sunt, & si qui noui posthac emergent.

Pestilentes autem duplici constant differentia: eorum enim grauiores hi, leuiores illi. Grauiores quidem dicuntur, qui derepẽte quamplurimos è medio tollunt, vti pestis simplex, febris pestilens tum simplex tum etiam putrida, quas consequuntur seu occulta seu manifesta symptomata pariter exitiosa bubo pestilens necnon etiam carbunculus, & quotquot alij ex epidemiis maiorem vim hominum perimunt. Leuiores verò censentur ex quibus vti moriuntur multi, sic etiam haud pauci euadunt. Tales eæ sunt febres minùs con-

Pestilentes.

tagiosæ, quas sola comitantur ἐκθύματα pestilentia aut etiam στίγματα illa quæ à figura formáve ipsa lenticulæ & puncticula recentiorum nonnullis dicta sunt: quia summa cute maculis haud extuberantibus efflorescant. Sic etiam bubo atque carbunculus leuiorũ ac verè potius simpliciter malignorum quàm pestilentium cognomen merentur, quotiescunque febrem pestilentem antecedunt. Ex hac differentiarum serie perspicuum est, eos tantùm pestilentes affectus verè nominari, qui epidemij cùm sint, perniciosi simul sunt ac lethales, ex pestifero aëris statu profecti. Horum igitur accidētia propria, species, causas atque signa diligentiùs imposterum inuestigare cõsilium est, quò & pestilentium morborũ pleniorem descriptionem eliciamus, & in eorum certiorem cognitionẽ tandem aliquando veniamus.

Gal. in præf. in 1. Epide. & 3. epide. comm. 3. cap. 20. Item 1. de rat. vict. in acut. com. 9. & lib. de fin. med.

Ad quódnam morborum genus pertineant pestilẽtes affectus, & quibusnam ceu accidentibus ἀχωρίστοις circunscribantur. Cap. II.

PRæmissa pestilentium morborum breui & dilucida definitione, tractationis ordo postulare videtur, vti cætera persequamur quæ ad eorum ipsorum differentiam certiùs

tiùs constituendam, ceu propria indiscretáve accidentia desiderantur. Sed priùs tamen, quoniam vnum quemlibet morbum ad vnum aliquod è tribus primis summísque generibus reduci necessum est, ad quònam ex iis hi reuocari debeant, statuendum fuerit.

Triplex est (vt Galeno videtur) corporum compositionis ratio: partium similarium dissimilariúmque ac totius corporis. Ad hunc modum si morborum genera totidẽ constituamus (quando primę summæq́ue morborum differentiæ non minus aptè, meo quidem iudicio, ex diuersa corporis cõpositione, quàm ex partibus quibus insident variis depromi possunt) pestilentes affectus haud immeritò totius corporis morbis ascribemus: ídque hac causa, quòd obsesso calore innato, corporis vniuersi compositionem ij funditùs euertere videantur. At verò quandoquidem nihil hoc loco placet rerum nouarum inuehere, quin tritas potiùs vulgarésque morborum differentias retinere cõsilium est, eos ipsos affectus similarium morbis accenseri præstiterit: quippe cùm nec motum, nec sensum nec denique vllius instrumenti functionem (nisi fortè κατὰ συμβεβηκὸς) vitiare queant: calorem verò natiuum, partium similarium substantiæ tanquam materiæ inhærescentem op-

1. De morb. diff. ca. 3.

Pestilentes morbos partibus similaribus inside-re.

pugnent, & harum proinde actiones proprias omnes primariò ac per se labefactent. Partium quidem similarium actiones à natura insitas ac proprias has esse ambigit nemo, attractionẽ, retentionem, concoctionem & expulsionem: quarum ope nutriri, augeri ac vnius formæ similémque naturam, à qua similares dicũtur, conseruare tuerique valeant. At verò eæ ipsæ vnde pendeant, paulò altiùs repetere haud abs re fuerit, vt si quod incurrat illarum vitium, id cuínam potissimum tribui imputaríve oporteat, clariùs innotescat. Partes itaque similares corporeæ cùm sint, non è primis tantùm constare qualitatibus, sed è substantia quoque triplici, nempe carnosa, solida & spiritali apud Medicos omnes ita est in confesso, vt demonstrationem hoc loci nullam omnino desiderare videatur. Ex hisce quidem omnibus, temperamentũ constituunt qualitates potissimùm: substantiæ verò tum solida, tum etiam carnosa, illi substratæ materiæ vicem gerunt: spiritalis denique ad ipsam formam refertur ac pertinet. Vt enim corporum aliorũ omnium tum simplicium tum etiam concretorum propriȩ formæ, quarum beneficio eæ sunt id quod sunt & à rebus cæteris discernuntur, sunt plerũque explicatu difficiles adeò, vt adumbrari duntaxat possint, nedum pleniùs illustrari:

illuſtrari: ſic partium quoque ſimilarium formam non niſi per ſpiritalem hanc ſubſtantiam ſolidis partibus inſitam ob oculos ponere poſſumus, vt quæ ſit earum eſſentiæ pars præcipua, in qua calor eſt innatus à diuiniore ortus prīcipio, quo quidem calore earum vnaquęque conſiſtit ac viuit, cuíque vni cauſæ illarum etiam vniuerſæ functiones acceptæ referūtur. Hanc eandem idcircò ſubſtātiam, nonnunquam partium ſummam perfectionem formámve, ſimpliciter interdum ſubſtantiam ſeu eſſentiam, aliàs denique facultatem nullo propè nominum delectu plerique omnes cum Galeno nuncuparunt. Verumenimverò hęc è quibus ſimilares partes conſtare intelligitur omnia, de materia ſint licet, non eſſe tamen de earundem eſſentia exiſtimandum: ſed ea ſolummodò quæ ad illarum actiones faciant. Siquidem partes (vti ab Ariſtotele ſcriptum eſt) exiſtunt actionum gratia, atque adeò ab iis habent ipſum eſſe, quæ ad actiones ipſas vt maximè neceſſaria requirūtur. Partium autem ſimilarium functionibus obeūdis ſubſeruiunt cauſæ aliæ quidem primariæ, aliæ adiuuantes atque συναίτιοι. Ac præcipuè quidem quod agit, eſt forma, ceu anima ipſa: adiuuans verò cauſa, temperamentum in materiæ ſymmetria poſitum, vt ſine quo rectè functiones illæ perfici ſuíſve

Cap. 3. 1. de part. anim.

numeris cõſtare nõ valeant: & præter hæc duo, tertiũ aliud excogitari nequit, quod ad partium ſimilarium functiones confe-rat. Quocirca quoties actionum vitium à temperie pẽdebit, toties morbus qui id fa-cit, intẽperies dicetur: ſin à forma totáve, vt Gal. verbis vtar, ſubſtantia, formæ iti-dem totiúſve ſubſtantiæ morbus erit. Si-milarium partium morbos plures agno-ſcere haud poſſumus, tametſi contrà ſen-ſiſſe videatur huius ætatis Scriptor cele-berrimus. Partium nãque ſimilarium ma-teria cùm ſit tantummodò veluti ſubie-ctum, in quod agunt actionéſve ſuas im-primũt tum temperies tum etiam forma, ac proinde ab ea neutiquam proficiſcan-tur actiones partium ſimilarium propriæ, eadémque affecta harum tamen ratio in-tegra perſiſtat vſqueadeò, vt nihilo me-liùs deteriúſve nutriãtur & incrementum capeſſant: adhæc cùm in alio nullo mor-bus ponendus eſſe videatur, quàm in eo quod actionis eſt cauſa, nos materiæ mor-bum (quod pace tanti viri dixiſſe liceat) nullum conſtituendum exiſtimamus. At ſi quod occurrat materiæ vitium, ſiquidem partium ſimilarium actionem offendat, id ad intemperiem referimus: quippe quæ in cauſa ſit, cur partes raræ ſint aut dẽſæ, mol les aut duræ, laxiores aut aſtrictæ, tenues aut craſſæ, cæteráſque id genus materiæ

immo-

immoderationes ſuſtineant. Sin verò inſtrumentorum actiones lædat, id morbis inſtrumentariis annumerandum quis ambigat? Hoc ceu fundamento iacto, supereſt in ſubſtantiæ totius morborum genere peſtilentes affectus collocandi videantur: vt pote per quos partium ſimilarium forma parùm aut obſcurè admodùm læſo temperamento primùm ac per ſe immutetur, prorſúmque de perfectione ſtatúque ſuo dimoueatur, aut certè quidem nō leuiter laceſſatur. Illud idem vel ipſa indicat curandi ratio, quam propulſandis hiſce morbis inſtituit Medicorum ſchola vniuerſa, non frigidis quidem aut ſiccis, multò minus calidis aut humidis, ſed iis ſolis quæ naturę ſubſtantię've totius contrarietate vitium omne radicitùs extirpare valeant.

Peſtilentes morbos totius eſſe ſubſtantiæ.

Porrò autem ſubſtantiæ totius morborum genera duo: Putredo atq; corruptio ſimplex. Quanquam enim corruptio latiùs vniuerſímque ſumpta tum putredinem tum quamuis aliam corruptionem complectitur, ſiquidem quæ putreſcunt omnia, eadem corrumpuntur, non item vice verſa: putredinem attamen hic verè propriéque dicimus, miſtione & partium temperie ſenſim diſſoluta proprij natiuíque caloris, qui omnia regit atque moderatur, extinctionem: ſiue inſitus natiuúſ-

Fernell. 2. de abdit. rerum cauſis.

que calor ab ambiente dissipetur, siue à frigido aut alienis id genus qualitatibus ad dissolutionem & interitum redigatur, siue denique transpirare quouis modo prohibeatur, aut humidi tanquam proprij pabuli penuria euanescat. Quippe sic elanguescente ac veluti refrigerato calore, naturalis & aqueus humor iam aliunde non coërcitus dominatur, redundat tãdémque diffluit, dum eo destitutæ partes sicciores euadãt, postremúmq; marcore consumantur, qui quidem omnis putrefactionis finis ex eo constituitur, quòd quę putrescunt omnia, eadem & marcent & in fimum ac tandem cinerem extabescunt. Itaque substantiæ totius partísve dissolutio conspicua in gangræna, sphacelo, phthisi, in iecoris, lienis aliarúmque partium corruptela. De putredine hactenus. Est autem corruptio simplex, spiritus innatíque caloris (qui præcipuã complent perficiúntque partis substantiam) dissipatio aut extinctio: quæ quidem non illò naturali ordine ad marcorem sensim progrediatur, sed externarum causarum magna vi tanta celeritate inducatur, vt putrefactioni tempus non suppetat, ac priùs corruptum quippiã appareat, quàm putredine tentetur. Huiusmodi est quæ per vigilias, vehementes labores, inedias atrocésque dolores fit spirituũ dissipatio:

pari

pari eſt exitio aut etiam vehemẽtiore caloris natiui ſuffocatio in ſtrãgulatu, eiuſdem extinctio in penetrabili extremóque frigore grauis admodùm, ſed hac longè grauior in peſtilentibus morbis à contagij ſeminariis totius ſubſtantiæ diſsidio & ἀντιπαθείᾳ infenſis humidi primigenij, ſpirituum ac proinde caloris etiam inſiti diſſolutio. Ergo exitiales hoſce lethaléſque affectus ad ſubſtantiæ totius corruptelam, non verò ad putredinem referre conſentaneum icciircò videtur, quòd non ſenſim, ſed ἀθρόως tanta vi ac celeritate inſitos vitaléſque ſpiritus, ipſúmque adeò animæ proprium inſtrumẽtum, nempe calorem natiuum partium ſolidarum humido primigenio inhæreſcentem primùm ac per ſe tetra maleficáque lue oppugnent, fatigẽt ac plerunque ita corrumpant atque depaſcantur, vt corpus ægrotantis vniuerſum proſterni, ac ferè acerbo repentinóque tandem interitu concidere videamus.

Peſtilentes morbos ſubſtantiæ totius corruptelam inducere.

Totius verò ſubſtantię morbi, ſiue corruptionis ſiue putredinis genere comprehenſi, cùm aliàs ex manifeſtis ſubque ſenſum cadentibus cauſis fiant, aliàs ex occultis miniméque peruulgatis: quorum quidem cauſa in conſpicuo eſt, manifeſtos: qui cõtrà ex occultis procedunt cauſis, occultos appellamus. Manifeſti ſunt,

exempli gratia, cùm vigiliis, inedia, laborum dolorúmque atrocitate insitus cuique parti spiritus dissipatur: aut cùm fixus eius ipsius calor strangulatu frigoréve extinguitur. In manifestis ij quoque sunt qui partium substantiam demoliuntur putredine ex primarum qualitatum intemperie nata: vti vlcera maligna, scabies, phthisis, horúmque similes affectus, quorum causa cæca occultáque non sit. Nec verò manifestos hîc morbos eo significatu accipi velim, quo Hipp. lib. de arte, dum eos intelligi vult, qui ad corporis superficiem erumpunt, quósque sublimes alibi nominat, eo consilio vt ab his discernat, qui in partibus internis altius hęrẽt, proindéque in obscuro siti sunt & dicuntur. Cæterùm substantiæ totius occulti morbi, vt sunt reuera pestilentes, corruptelam & perniciem habent ab occultioribus causis, iísque ferè externis quęque supra elementorũ conditionem existant. Indicio est, quòd hominis naturę non putredine sola, vti falsò quidam opinantur, sed tota specie vísque deleteria ita sunt infensæ atque contrariæ, vt non corporis temperamentum, sed obscurè furtímque ipsam facultatum substantiam natiuo ac diuino calore insitóque spiritu suis veluti numeris constantem primùm ac per se inuadãt &, quod extremum est, lacessant, & a-

Aphor. 7. sect. 6.

Pestilentes morbos occultos esse.

& adeò vt ipſam etiam atterant & extinguant. Ferè ſiquidem accidit, ſi qua eiuſmodi cauſarum abditiorum corpus attingat, vt omnino lædat, aſsiduóque incremento aucta in id agere priùs non deſinat, quàm quicquid ſubſtantiæ ipſius attigerit, id omne immutauerit & in ſuam naturam pertraxerit, atque contagio ſenſim ſerpſerit in corpus vniuerſum, ipſúmque ad internecionem deduxerit. Nec enim vnquam ea poteſt euinci ac ita miteſcere vt in corporis ſubſtantiam commigret: in hoc autem vno ſpes recuperandæ valetudinis tota cõſiſtit, vt exigua ſi fuerit illa venenata qualitas, innati caloris vi extenuetur, diſſoluatur, tandémque foràs propulſetur, aut etiam propriis antidotis penitùs extinguatur. Eædem porrò cauſæ, quoniam nos prorſus fugiunt, inopinatęque feriunt, nulláque manifeſta qualitate percipi internoſciue, non calore, non frigore, non colore, non odore, non ſapore, denique ex ipſis duntaxat effectis & euentis deprehendi poſſunt, à noſtris propterea cęcę dicuntur, vt etiam quia veneni ſunt participes, venenatę: indéque prognati morbi vt occulti, ſic etiam cæci & venenati rectè nominantur. Non abſimili ratione eæ ipſæ cauſæ vt obſcuræ, admirabiles & non modò à ſenſibus externis alienæ, ſed mentis etiam

humanæ captum ſuperantes, & quia præſtantioris occultioríſque ſunt originis, Hipp. diuinæ nuncupantur, conſueto ſanè veterum more, qui quicquid incognitum & admirabile videretur, diuinum appellabant.

Lib. 1. præſagiorum.

Abditiorum & venenatarum cauſarum genera vt varia, ſic quoque qui ex iis oriuntur morbi varij. Nam vt illarum aliæ à nobis & intus gignuntur, intróve cibi potus vel medicamenti ſpecie ſumuntur, aliæ cum aëre inſpiratu perſpiratúve trahuntur, vti peſtilentię ſemina, aliæ denique nos extrinſecus attingunt, vti rabidi canis, aliarúmque virulentarum beſtiarum morſus aut etiam ictus: ita & occultorum morborum qui ex illis ortum habent totidem differentias ſtatuamus oportet: idq; vel hac cauſa, quòd quanuis venenati omnes, non tamen pari vi, nec iiſdem ex cauſis tales exiſtunt. Enimuerò qui non è ducto inſpiratóque aëre, neque ex cauſarum corpori foris occurſantium contactu, ſed ex intus concluſa ac deliteſcente impura materia ſiue ibidem progenita, ſiue etiam aſſumpta proceſſerunt, nec in vicinos cōtagione prorepunt, ſimplices ij venenati ſunt. Huius generis cenſentur morbus comitialis ab aura venenata, ſtrangulatus vteri à putri ſemine aut retentis menſibus, ſyncope ex concreto

ſanguinis

ſanguinis grumo,ſphacelus ex ſeptico hu more:qui certè quidem affectus omnes ex intus genito veneno proueniunt. Eiuſdem ſunt claſsis quotquot ex hauſto aut alioqui aſſumpto veneno contrahuntur: cuiuſmodi ſunt quos aconitum, taxus, ephemerum,cantharis, lepus marinus atq; id genus plurima intulerunt. Qui verò morbi ſolo contactu maximè plurimúmque concipiuntur, ij contagioſi verè ac ſimpliciter appellantur: vti ſtupor à torpedine piſce vel ab opio, ὑδροφοβία, & qui dryini, ſcorpionis,phalangij beſtiarúmq; id genus venenatarum morſibus aut aculeis, vel telorum toxico imbutorum ictibus infliguntur.His adde luem veneream, ἐλεφαντίασιν & qui ex iſtorum confuſione fieri poſſunt,vt & quotquot alij concubitu accubitúve, ſolóque adeò cõtactu prehendunt. Cæterùm qui halitu ipſo ſtatim offendunt, peſtilentes ij quidem, at prioribus nõ minùs,imò fortaſſe magis contagioſi & ſunt & dicuntur. Vt enim illi quia externæ eiúſque venenatæ cauſæ occurſu contactúque inferri ſolent,vel ab externa licet cauſa originem non habuerint, geniti tamen contagione afficiunt: ſic & hi poſteriores,quoniam nõ propinquo modò contactu, verumetiam mutua hominum cõſuetudine vitæque ſocietate contaminant, contagioſi meritò nuncupan-

Peſtilentes morbos eſſe contagioſos.

tur. Sed quoniam in eum sermonem incidimus qui de contagione est, naturam eius si accuratiùs expenderimus atque penitiùs explicuerimus, huic loco institutóque nostro lucis non parùm attulisse videbimur.

Contagio quid.

Contagionem igitur rectè definierũt, mistorum infectionem quandam κατὰ τὴν οὐσίαν, seu corruptionẽ ab vno in alterum analogia quadam permeantem: ex quo intelligitur à contagionis nomine excludi debere quæcunque fiunt ex accidentibus commutationes. Rursum & cõtagionem tum demũ irrepsisse dici posse, cùm & cui corpori contagium importatum est & à quo dimanauit consimile in ipsa amborum substantia vitium inest. Contages enim vt vnius non est, ita & vt minimum duorum: siue diuersa illa sint, siue vnius partes continuæ atque cõnexæ: hoc tamen discrimine, quòd quæ duarum corporis vnius est partium, impropriè: quæ verò diuersorum, propriè simpliciterque contagio nuncupatur. Hinc contagiosi morbi denominantur, qui quidẽ aut contactu tantùm contrahuntur, aut contactu simul & fiunt & afficiunt. Etenim morbida excretio semel ex contagione concepta aliàs sui similem in hoc atque illo gignere ac propagare, aliàs tale nihil procreare causaríve potest. Atque hinc ex

conta-

contagione morborum genera duo. Horum alij quam continent νοσερὴν ἀπόκρισιν siue principio corporibus ingenitam, siue extrinsecus inuectam vt alteri communicare non possunt, sic eandem alij in alium atque alium transfundere possunt. Prioris generis exemplum esto, stupor: posterioris tum qui affectus ex occultorum genere sunt ὑδροφοβία, ἐλεφαντίασις, lues Hispanica vel Indica seu potiùs, citra natium odium & iniuriam, venerea, ac pestilentes omnes: tum & qui manifesti, quo ex genere sunt ὀφθαλμία, λέπρα, vitiligo, scabies, impetigo, φθίσις, ἀχῶρες, ὀφίασις, porrigo & si qui sunt id genus affectus summam extimámq; cutim ita labefactantes, vt aut humore manet lẽto ferè atque glutinoso, aut eruptionibus scateat omninò siccissimis. Hoc genus affectuum contagionis in sese seminaria continere ex eo perspicias, quòd alia soleant sui similia gignere quæ in secundum transeant, hæc rursum consimilem sui sobolem quæ in tertium deriuetur, atque deinceps in obuios quosque serpat ferociátque. Quod vnum animaduertens Galenus, admonet parum tutam periculíque plenam cum iis esse consuetudinem, qui pestilenti morbo, phthisi, scabie atque id genus aliis infestantur: idq́ue meritò atque optimo iure. Nam tametsi contagium perniciem

Arist. probl. 4. & 7. sect. 7.

1. De diff. feb. cap. 2.

illicò nō ſemper inferat, vt eſt & quod ſedem infecit vitæ non ita neceſſariam, & cuius vis tanta non eſt vt poſsit mortem accerſere: eſt tamen ſollicitè declinādum, ſiquidem ſaluti valetudiníque integræ bellè conſultum velimus.

Rurſum contagij ſeminarium ſubſtantia vt triplex eſt, tria quoque eſſe conſecutione quadam tum contagionis ipſius, tum ex contagione morborum genera ex facili quiuis intelligat. Quāquam enim eius qua de agimus contagionis ſeminaria omnia morbidæ expirationis euaporationíſve ſenſus latētis genere continentur, ex his tamen alia magis, alia minus elaboratam miſtionem obtinent. Ac ea quidem quę minùs perfectam conſummatámque miſtionem ſortita ſunt, ac (ſimplices tantùm minimúmque lēti vapores cùm ſint à putreſcente corpore ſuſcitati) contacto corpori pertinaciter minùs adhæreſcunt, ſolo ea contactu inficere poſſunt: ſiue per concubitum accubitúmve, ſiue cōuictu, aut quauis alia ratione. Quorum verò ſeminum eſt validior & magis elaborata miſtio, vt quæ lenta ſunt atque tenuia, ea certè non contactu modò afficiunt, ſed & fomitem de ſe relinquunt, cui tum valida ſui miſtione, tum lentore atq; tenacitate diutiùs ac firmiùs inhęreſcant, eóque ceu medio quodam interiecto afficiant.

Contagii ſeminarium triplex.

1

2

ficiant.

ficiant. Enimuerò quæ ſuis numeris abſoluta elaboratáque miſtio eſt, cùm aliàs in lento, aliàs in duro corpore conſiſtat: ſolum prius illud lẽtorum glutinoſorúmq; genus ſeminariũ cõtagionis certiſsimum eſſe poteſt: idque eiuſmodi, quod non tantùm contactu, ſed fomitis etiam interiectu contagionem communicet. Quoties enim ſeminaria ipſa cum vicino cõtactóque corpore ſunt ἀνάλογα, ſtatim contagionem inferũt: quoties verò ἀνάλογα non ſunt, & quod tangitur ipſum quidem aptũ non eſt affici, ſed ad ſeminaria duntaxat excipienda exceptáque diutiùs retinenda atque conſeruanda non ineptum, tum demùm fomitis naturam induit, quo intermedio poſt multos etiamnum menſes & annos nedum dies inficiunt. Fomitum igitur idonea materia, quæcunque ſunt crebris foraminibus peruia, rara, lenta, calidáve aut parum frigida: eius potiſsimùm generis ſunt, lana, linũ, pluma, goſſypium, coria, pelles, ſtupæ & quæ ex his cõficiuntur ſuffulciuntúrque veſtes, lintea, culcitrę, ſtragulę, περιπετάσματα. His licet annumeres lignorum rariſsima, qualia ſunt abiegna: hæc enim priùs recenſitis illis non minùs ſuos habent πόρους ſeu meatus, in quos ſeminaria condi, cõditáque longiùs exportari ac diutiùs conſeruari poſsint, & adeò vt ab iis priùs tolli vix queant,

Contagii fomitum idonea materia.

quàm igni absumantur, aut aquæ auræve frigidissimæ vi frangãtur & hebetescant. At contrà, quæ supramodùm dura, solida, compacta frigidáq; sunt, ea minimè sunt idonea vt fomites cõtagionum fiant. Talia censentur ferrum, lapides, aurum, æs & eiusmodi pleraque alia. Vnde mirari subit nostrorum hominum sedulam nimis cautionem, qui si, quibus in ædibus familiæ plures diuersantur, per cochlides etiã ex solido lapide scalas vel ægrotus peste laborans sit deductus, vel extinctum peste cadauer exportatum, per easdem egredi regredíve periculi plenum existimant, nisi primùm exacto dierum stato aliquo spatio: intereà verò per id tempus nihil dubitant aut in ædes ascẽsionem aut ex iisdem descensionem facere per scalas gestatorias rectæque itionis è fenestris pẽdentes: quæ res indoctæ plebeculæ terrori, licet panico, maximo tamen solet esse. Periculo etiam vacare quicunque nummos aliáque metallica ab homine contagioso contrectata ipsi cõtrectant, illorum soliditas ac durities apertè commonstrant: quibus rebus fit vt contagij seminaria excipere minimè possint, nisi fortè quæ lue pestifera infectꝰ, dum sudore diffluit huméntve manus, attrectauerit: siquidem ex eorum sint genere quæ ex madore rubiginem facilè contrahant. Paleas verò, fœnũ, lectos,
stragulas,

ſtragulas, lintea, veſtes, culcitras, ſcruta, ſterquilinia, domorum purgamenta, quiſquilias, ſtupas & ſiqua præterea ob mollitiem ac pororum copiam excipere ſeminaria contagij, eadémque ob lentorem diutiùs retinere poſſunt, contingere adeò tutum non eſt, vt ſit etiam periculoſiſsimum. Vnde fit, vt ij Magiſtratus ciuium ſaluti bene conſulere videantur qui publico decreto talia pleraque vt aut penſatis inopibus concrementur, aut viuo certè flumine abluantur purgetúrve diligenter cauent & ſanciunt. Tertium ſeminariorum genus eſt eorum omnium quæ longè validiſsimam maximéque elaboratam miſtionem obtinent, ſuntque ſuapte natura vt ſubtiliſsima, ita & acerrima. Hęc quoniam ſpiritali alioquíve tenui ſubſtantiæ inhærent, ac proinde quoquoverſùm permeare atq; peruadere ſunt aptiſsima, nõ difficilè fit, vt non contactu modò aut fomite afficiant, ſed ipſum etiã ad diſtantia contagium transferant. Ergo contagionum genera tria: vnum eius quæ contactu fit, alterum quæ fomitem præterea relinquit, tertij generis eſt quæ ad diſtans etiam penetrat. His ex aduerſo reſpondẽt contagioſorum morborum totidem differentiæ, qui certè quidem omnes contagione non modò fiunt, verùm etiam afficiunt. Sed ne lõgiùs excurrat oratio, quod

3

quotidianum docet experimētum in præsentia ratum habeamus, pestilentes nimirum morbos contagiosorum omnium esse præsentissimos simul & perniciosissimos: quippe qui non ipso duntaxat cōtactu aut fomitis interuētu, sed iusto etiam interiecto interuallo ab vno in alterum celerrimè deriuētur, nec tantùm ex inspirato aëre communi, verùm etiam ex aliorum eadem lue inquinatorum commercio plerunque ducāt originem. Talis cùm sit tantáque fluidæ contagio pestis, vt Lucani verbis vtar: qualia quoque sint illius seminaria quiuis ex facili cōiiciat. De reliqua ex contagione morborum sobole, ac in vniuersum de cōtage ipsa plura qui scire volet, ea perlegat quæ hac de re ab Hieron. Fracastorio rerum naturalium indagatore sagacissimo fusè elegātérque adeò sunt pertractata, vt quemadmodum in plerisque aliis, ita & in hoc argumento à veteribus in totum penitúsque neglecto perfectionis numeros omnes impleuisse meritò videatur.

Pestilentes morbos etiā iusto interiecto interuallo contagionem suam cōmunicare.

Lib. 6. poem.

Lib. de contagione.

Superest reliquas percurramus morborum differentias, quæ affectuum pestilentium maximè naturam attingūt, vt à quibus neutiquam abesse secerníve possint. Ac primùm quidem, quoniam ex morbis alij graues atque periculosi, leues alij ac periculo vacantes: prioris certè generis

omniúm-

omniúmque maximè lethales cẽsendi qui ex pestilentium ordine sunt omnes. Totius enim huius classis quanuis rursum, vt antè scripsimus, grauiores hi, leuiores illi sunt: commune tamen est omnium cum malignitate coniuncta summa pernicies, tanta vt si collatio quædam & comparatio fiat cum morbis aliis, hi futuri sint omnium longè grauissimi, siue partis affectæ præstantiam spectes, siue affectus magnitudinẽ eiusdémve κακοηθείαν: quæ quidem tria etiam singula, authore Galeno, morbũ essentia omníque ratione grauem constituunt. In hisce porrò pestilentibus morbis quanuis partium omniũ substantia formáve laboret detrimentúmque capiat, primò tamen omnium maximè nobilissimum atque præstantissimum viscus nempe cor ipsum tam grauiter lacessitur, vt eius ipsius forma substantiáve tota primùm, deinde verò corpus vniuersum repentino exitio concidat principij viribus & fauore destitutum. Quòd si qui & vehementes & supra vires humanas existunt in morborum magnorũ numero semper sunt habiti, quis, quæso, pestilentes in eorum albo non annumeret qui non magni modò, verumetiam maligni sunt fuerúntque apud omnes semper? Nam siue maligni morbi dicantur qui tum signis indicantur, tum symptomatis comitantur

Pestilentes morbos è grauium esse genere.

Eosdẽ magnos esse.

Pestilentes morbos malignos existere.

Gal. lib. 1. de Iudic. ca. 16. & comm. 14. in 1. prr. Item comm. 58. in 2. prr.

grauioribus quàm quæ præ se ferat ipsorũ natura: siue qui etsi periculum minantur, spem tamen salutis non adimunt: siue qui nec remediis curationi accommodatis, nec sudore alióve excretionis genere iudicantur, quis non videat pestilentes hos alij nulli morborum generi malignitate cedere: vt qui & à vulgari morborum cõsuetudine lõgè alienissimi sint, & plerunque in speciem parui cùm appareant, interim tamen præter expectationem & ex insperatò perimant, eorum verò sanatio vnum ex iis sit quæ aut ægerrimè, aut nullo modo viribus humanis perfici possit. Cęterùm affectus omnes magni vehementer ac celeriter sua cum percurrant tempora, eámque ob causam meritò iidem acuti & sint & nominentur: pestilentes non acutis modò, sed & simpliciter talibus ascribere quid impediat? cùm eos constet modò breui aliquot horarum spatio, modò intra tertium diem, nonnunquam intra septimũ terminari, aliàs ad decimumquartum (qui quidem Hipp. authore, simplicium acutorum terminus existit) raro longiùs excurrere.

Eosdem esse acutos simpliciter.

Sect. 2. aph. 23. & Gal. in comm.

Epilogus.

Ex iis quæ suprà dicta perspicuè demonstratáque sunt conficitur, pestilentes affectus præterquàm quòd ex substãtiæ totius morborum sunt genere, occultos, venenatos, cõtagiosos, graues, magnos, necnon & malignos, denique

nique acutos etiam habendos esse, ac ita habendos, vt si quod antè memoratorum desit, pestilentes haud satis aptè nuncupentur.

Eorum omnium coaceruatione essentiam ac naturam morborum pestilẽtium ita mihi videor circunscripsisse ac suis veluti coloribus depinxisse, vt quid hos inter ac reliquos morbos intersit, haud difficilè iam cuiuis innotescat. Quare tempestiuum fuerit, vt ad varia eorum genera variasque species recensendas aggrediamur.

¶ Quot & quænam sint pestilentium affectuum differentiæ, quot item species, quóque singulæ modo generentur. Cap. III.

Contagionum pestilẽtium seminaria, interna alia quæ in nobis ortu primo gignuntur & fiunt, móxque à nobis in vicinos transeunt: alia foris intrò statim occursantia mox itidem in hunc & illum propagantur. Hominum quidem corporibus certis ex causis ingenerari venenum, aut certè veneno quiddam proximum, satis supérque tum quotidiana experientia, tum Galeni testimonio atque authoritate comprobatur. At verò pestilentium simillima tum gignun-

Lib. 6. de loc. aff. cap. 5. & 6. de caus. sympt.

tur, cùm humores non modò putres ex prohibito perſpiratu, obſtructione, cacochymia, communibus videlicet cauſis euaſerunt: ſed inſuper aduerſariam ac totius ſubſtantiæ diuortio hominis naturæ infenſam vſqueadeò qualitatem contraxerunt, vt ab iis temporis decurſu malignioribus redditis ſublata quædam aura venenata ceu morbida exhalatio viſceris nobiliſsimi ſubſtantiam labefactet, infeſtet atque corrumpat, denique peſtilentibus haud abſimilia ſymptomata inducat. Atque venenatam hanc euaporationem halitúmve, contagij tum fomitem ac velut igniculum eſſe, quid quęſo prohibeat? Quippe ex putredine altiùs ac in imo cõcepta, ſordida, concluſa atque tenaci ſeminaria fieri ſuperioribus conſentaneum eſt, quæ vt lenta ſunt, ità & ægrè ſolutilis concretionis exiſtant: quin cum corporibus analogiã nacta in propinquum derepentè contagionem transferre valeant: idq́; ſiue in hoc ipſo internæ cauſæ & affectiones eædem ſint quę in priore fuerunt, ſiue ad labẽ eiuſmodi concipiẽdam nulla omnino propẽſio atque procliuitas extiterit. De intus prognata labe ſatis. Foris autem intrò ſeſe furtim inſinuant peſtis fomenta, cùm aut ab aëre importãtur à cœleſti qualitate, vel grauibus terræ aquarúmve aſpirationibus, vel denique ægro-
tanti-

tantium halitibus inquinato: aut à pulueribus pinguibúsve iis pharmacis, quibus triueneficus ille μισάνθρωπος ac veterator callidiſsimus magorum infamium miniſterio vitioſitatem aëris imitari conſueuit. Nam hæc quoque materiæ venenatæ genera momenti non parùm afferunt ad teterrimam & veneni participem luem inferendam. Vnde colligas & in ea magna peſtilentia quam Athenis viguiſſe narrat Hiſtoriæ Græcæ author grauiſsimus, non fuiſſe ab ratione prorſùs alienum, quòd exiſtimauêre nonnulli in puteos Piræi à Peloponnēſibus iniecta fuiſſe venena. Atque vt peſtilentiæ ſeminum origo duûm eſt generum, ita inde prognatorum peſtilentium morborum duplex differentia. Si quidem qui aliunde illabentibus ſeminariis oriuntur, peſtilētes eos verè propriéque dixeris, quos capite primo definiuimus. Qui verò nō extrinſecùs, ſed ex internis atque ingenitis ſeminariis ducūt originem, haud propriè quidem illi, tantúmque ſimilitudine quadā peſtilētes nuncupantur: cùm illis non minùs cōtagioſi exiſtant, ac genus vtrunque paria comitentur ſymptomata. Quòd ſi ex complurium ab interna cauſa ſic inquinatorum expiratione perſpirationéve aër cōtagium tandem admittat, inde prognati morbi in verè peſtilentium affectuum catalogo meri-

Thucyd. lib. 2.

Aretæ. lib. 1. de cauſ. & ſig. cap. 7.

1 2 *Peſtilentium morborum differentia.*

3 tò cenſebuntur. Inſuper & poſterioribus hiſce affines exiſtunt ſed multò minùs tamen propriè peſtilentes affectus, vtpote qui malignorum veriùs quàm peſtilẽtium naturam reſipiant. Huiuſmodi ſunt πυρετὸι λοιμώδεις ἄνευ λοιμοῦ, hoc eſt febres ex peſtilentes abſque aëris venenata qualitate quarum meminit Galenus, ex eo nomen adeptæ quòd malignitate ſymptoma túmque ſæuitia eiuſdem ſunt cum ſuperioribus illis ideæ & characteris: hoc vno tamen excepto, quòd illis quidem accedunt vel bubones vel anthraces ſeu latentes ſeu etiã manifeſti, aut papulæ vel maculæ: hæ verò poſteriores nullo vnquam eiuſmodi ſymptomate comitatę viſuntur nec tamen propterea minùs lethales, ſed extremæ deploratæque perniciei omnes, niſi cœleſti Diuinóque remedio adiutus iis quamprimùm occurras.

Morborum peſtilentium alia ſignificatio.

3 de præſ. ex puls. c. 4 & 3 Epid. ſect. 3, com. 57.

Affectuum ab externa cauſa peſtilentium ſpecies exiſtunt varię: quædam enim peſtis eſt ſimplex (qualis quæ potiſsimùm æſtuoſo cœlo ac regione, & ſeu natiuo ſeu aſcititio temperamento calido præditos inuadit) alia cum febre coniuncta, quam eandem peſtilentem febrem appellandam rectè cenſuerunt. Hanc rurſum duplicem ſtatui oportere reperitur, ardoris nempe auctíque caloris vnam, alteram quæ ex putrẽtium humorum colluuie inuehi-

Verè peſtilentium affectuũ ſpecies. 1. 2. 3.

uehitur: vt cernere eſt peſtem febribus aliàs quidem ſimplicibus, aliàs verò putridis implicari. His accedunt veluti cognatione quadam coniuncti Bubo atque Carbũculus: qui certè tumores natura protinùs venenatã materiã propellente febres antecedũt, ſed hoc rariùs: aliàs, ídq; ſępiùs eas velut ἐπιγεννήματα comitantur conſequũtúrve: túmq; ex cõſequentiũ ſeu connexorum morborũ eſſe numero propterea cenſentur, quòd febribus velut procreatricibus ac internis ſuis cauſis connectantur. Iiſdem accenſeri placet ἐκθύματα quę & ipſa ferè morborum pariter ac ſymptomatum rationem ſubeunt. De ſtigmatis verò atque maculis quæ peſtilenti in febre nec rarò nec inſolentes cernuntur, illud ſic habeto: eas non in morborum, ſed ſymptomatum numerum referendas eſſe, eorum inquam ſymptomatum quæ Hipp. ἐπιφαινόμενα dicuntur. Nam & ex tumorum genere non ſunt, & febrem ſemper conſequi, nunquam verò vnquam antecedere videntur.

4. 5. 6. 7. *Aph. 12. sect. 1.*

Atque cum ſint affectuum peſtilentium propoſita genera ſeptem, intelligendum eſt totidem iis ex aduerſo reſpondere generationis modos: ex quibus quid quantúmve alij ab aliis differant & in quo conſentiãt, coniicere facile fuerit. Ergo quod inquinamentum inſperſum aeri peſtilen-

Tum peſtis ſimplicis, tũ febris peſtilentis generatio.

tiæ fomentum eſſe diximus,in corpora ſeſe via duplici inſinuat facitq; impreſsionem. Nam & per aſperam arteriá ad pulmones intrò ſubire, & per venarum arteriarúmq; oſcula,harúmve atq; cutis vniuerſæ ſpiracula adiumento ſpirituum & humorum ceu vehiculorum vicem præſtantium altiùs expeditiſsimè peruadere poteſt:euenítque vt dum via alterutra ſeſe in corpus clanculùm infert & immergit, Cordi imprimis obuio facillimè vis afferatur. Etenim viſcus longè nobiliſsimum cum refrigerij pabulíque neceſſarij gratia ambientem aërem cōtinenter haurire cogatur, vnà cum aëre ipſum etiam inquinamentum, qualecunque fuerit, neceſsitate quadam impulſum attrahit.Hoc itaque ſi rapidius atque admodum tenue fuerit,& ad ſpiritus Cordis inſitos ipſámque adeò ſubſtantiam habeat analogiam: ſint & vſqueadeò imbecillæ vires, vt nec veneno ſatis obſiſtere,nec ipſum à ſe procul amandare valeant, tùm ſine febre peſtis ingeneratur longè grauiſsima, quam eandem putridæ ex aduerſo ſimplicem anteà nominauimus. Contrà quoties ſeminarij materia craſsior eſt pigriórve ac in lentore multo veluti ſepulta, adeò vt in ipſam Cordis ſubſtantiam non niſi ſegniùs tardiúſve irrepere ac penetrare poſſit: aut Cor illius veneni viribus labefa-

ctatum, ipſum à ſe depellat protrudátque in ſpiritus humorésve concipiendæ labi paratiora corpora: ferè fit, vt Cordis influentes ſpiritus ac humores præcipuè infeſtentur, ſubſtantia ipſa oppugnata quidem, ſed nondum expugnata. Atque hæc eſt peſtis cõpoſitæ generatio: cuius ipſius, vti modò diximus, exiſtunt genera duo: vnum abſque putredine ad caloris incrementum pertinet, alterum genus eſt cum calore ſimul & putredine. Enimuerò ſi corpus excrementis vacuum, purum aut integrè ſanum eſſe contigerit, ſpiritus humorésve, ſiue quia vehementius agitentur ipſi, dum Cor veneni molitur expulſionem, ſiue ob anni tempus facillimè incaleſcant æſtuéntque omnia, duntaxat ſuccendũtur & exardeſcũt nondum aliquam nacti putredinem: ab his tandem calor is ardórve ἀντιπαθεία totiúſque ſubſtantiæ repugnantia vitali inſitóque calori aduerſus & deleterius, per venas & arterias promptè ac celeriter in ſingulas corporis ſedes, ipſúmque adeò corpus vniuerſum diffunditur atq; tranſmittitur: atque ita ex venenata qualitate & calore febrili ſimul coëũtibus emergit peſtilẽs ea febris, quam ſimplicem ſincerámque eſſe ſuprà monuimus. Poſterioris generis ea eſt febris quam putridam peſtilentem appellandam cenſuimus. Eiuſce generationis

Gal. cap. 4. li. 1. de diff. feb.

Gal. l. 1. de diff. feb.

hic modus: Cum qui humores regit atque moderatur diuinus calor ab occulta pernicie ita obſidetur, vt concidat ac propemodùm extinguatur, tùm euenit vt illi computreſcant & putridam febrem inuehant. Eſt & quando malefica peſtiferáque vis in corpus irruit plethoricum, cacochymum aliterve ſuſcipiendæ putredini præparatum, vt obſtructione, cœli grauitate, aliáve occaſione. His omnibus tamq; variis ex cauſis poteſt peſti ſuperuenire putrida febris atque ita miſceri, vt non vnus ſolúſve morbus efficiatur (niſi κατὰ συμβεβηκὸς vnum dicamus ὅτι ἄμφω μιᾷ οὐσίᾳ συμβέβηκε) ſed diuerſi ac diſpares nulláque inter ſe affinitate iuncti duo ſimul coëant & implicentur, qui tamen tum definitione tum curandi ratione medica manifeſtò diſtinguntur. Ex quo intelligitur, meritò reprehendendam eorum pertinaciam, qui occaſione fortè ex Galeni ſcriptis arrepta nō niſi putrefactione peſtem omnem metiuntur & explicant, in eóque vehementer æſtuant, vt eam non aliunde quàm ex putredine proficiſci tueantur. Nā vt fatear hac morborū permiſtione ſigna atq; ſymptomata miſta comparere: nihilominus tamen horum alia ſunt peſtiferæ luis propria, alia putredinis: quibus de rebus tùm fuſiſsimè, cùm ad peſtilentium morborum ſigna noſtra ſeſe conuertet oratio.

Ga. 1. de diffe. feb. ca. 4. & 3. de præſa. expulſ.

Ariſt. 4. Metaph.

Gal. 1. de diffe. feb. c. 5.

Quo-

Quoniam hactenus ſimplicis compoſitæque peſtis originem vim & naturam expoſuimus, ſupereſſe videtur earum progreſſus exitúſque varios ac inter ſe diuerſos eſſe firma ſtabilíque ratione confirmemus. Igitur quæ peſtis ſimplex eſt vt eſt breuiſsimi temporis, ita pleroſque multos derepentè è medio tollit. At Compoſita longiores dat inducias, nec eſt perpetuò inſanabilis. In ſimplici quidem peſte quò robuſtiores imbecillioréſve ſunt Cordis vires, hoc magis vel minùs inſilienti perniciei obſiſtunt: hincque videre eſt, licet tardius aliàs, aliàs citiùs, Cor ipſum tamen manifeſta cum pernicie tandem euinci. Nam ſi minùs robuſtas facultates vel ipſo ſtatim initio morbi percuſſas eſſe contingat, ipſa quæ cor appetit venenata pernicies protinùs, vtputa tribus, quatuor, quinque ſéxve horis, aut paulò pluribus nullo ferè ſenſu doloris hominem iugulat. Sin paulò validiores erunt, tandiu certant cum morbo venenatáque lue, dum tandē intra horas vtplurimùm quatuor & viginti Cadmæa planè victoria potiantur, hoc eſt, malo victæ cedant, vnáque cum morbo & ipſæ corruant. Quæ verò compoſita peſtis eſt, ſuperiore vt mitior, ita ſpem omnino non adimit: at enim venenata qualitate tandiu tentantur laceſſuntúrque ſpiritus ac humores,

Peſtis ſimplicis compoſitæque progreſſus.

dum vel ſponte beneficióque naturæ critica fiat & ſalutaris eius vacuatio reſolutióve, aut antidotorũ viribus tota ea materia foràs excludatur. Eſt quando à cauſa quæ morbum intulit agitata ſtimulatáque natura excretionem moliatur, ſed eam ferè irritam & ſymptomaticam, vt non deſinat portio veneni reliqua, ſerpẽte paulatímque augeſcente noxa, in Cordis ſubſtantiam ipſam tandiu debacchari, dum prorſus interemerit.

Tumorũ peſtilentium generatio.

Hîc quod difficile inauditúmque ſit, dicam nihil: de re cuiuis comperta diſſeram. Peſtilens febris ea eſt, quam ſuprà in ſpecies duas diſtribuendam cenſuimus, ſimplicem atque putridam. Ipſæ verò ambæ aliàs ſolitariæ incomitatæque viſuntur: aliàs Carbunculo aut Bubone ſuis propriiſque characteribus inſignitæ, aliàs ecthymatis aut maculis, quæ poſteriora duo leuiora multò perniciciéque minoris ſymptomata ſunt. Nec verò intelligi velim, quoties febres tumoribus illis comitantur, hos perpetuò febribus ſtatim ab initio ſimul aſſilire, ſed aliàs anteceſsione præmõſtrare perniciem: aliàs verò (quod eſt conſuetius) febres ipſas ſubſequi. Atq; Bubo, Carbunculus, ἐκθύματα ſine febre atque primariò tum erumpunt, cum ſeminario contagij quod laceſsitur viſcus inſigni virium robore pollet, & adeò vt minimo

minimo negotio venenum ipſum vtpote ſuppar ac infirmius, quāprimùm auertat, propulſet &ad partem corporis laxiorem imbecilliorémq; vnam vel plures amandet atque diſiiciat. Tales verò ſuapte natura ſunt tum ſummæ corporis partes, tum cutis extima, maximéque adenum ſeu glandularum eæ quæ in partium principum emiſſariis poſitæ ſunt. Quoties igitur vnus, duo pluréſve, aut omnes pariter humores (quod augeſcente vigentéque malo ferè accidit) facillimè veluti furentes excādeſcunt aptíque ſunt redduntúrve qualitati venenatæ concipiendæ: tùm ſine dubio tumores hi vel ſolitarij, vel comitati erumpere conſueuerunt. Atque hæc de eruptionibus peſtilentibus in vniuerſum generatímque dicta ſunt. Iam ſigillatim de vnaquaque ſermonem habiturus, ab ea exordiar quę ferè mole omniū maximè inſignis in conſpectum ſeſe dare conſueuit. Huic origo ex ſanguine eſt, 1 quoties aut crudior aut mediocriter concoctus abſque vehementi feruore venenata qualitate inficitur: is enim tùm non niſi in partium principum ſentinas decumbit: quod genus eæ ſunt adenes, quæ in tonſillis, iugulo, alis, aut inguinibus conſpiciuntur. Perniciei maioris creditur 2 eſſe Carbunculus huic affinis, ex efferueſcente craſſo, melancholico aduſtóque

atque retorrido ſanguine procreatus. Hic ſtata nulla corporis ſede, ſed indiſcriminatim ſumma quauis corporis parte protuberat. Frequens quidem in peſte bubo: ſed hoc frequentior conſuetiórque carbunculus, peſtilenti loco ac tempore potiſsimùm: quoniam partim ob aëris corruptionem, partim propter terrorem quo plerique omnes per id tempus percelluntur, partim etiam ob luctum mœſtitiámq; ex parentum, liberorum aliorúmque propinquorum & cognatorum iactura, aduſtus idémq; ater humor, paratiſsima carbunculi materia, redũdat. Cùm autem ſero aut pituitæ iuſtum in ſanguine & à natura præſcriptum modum exuperanti venenata qualitas accedit, ἐκθύματα ferè toto corpore prorumpunt. A bilioſiore verò modò ſanguine modò tenui vapore venenum concipiente in extima ferè ſummáque corporis cute στίγματα ſeu lenticulæ ſeſe patefaciunt. Quæ lenticulæ ſtigmatáve cùm febrem anteire nunquam, ſemper autem ſubſequi viſa ſint, in peſtilentium febrium ſymptomatis dũtaxat cenſenda eſſe intelligunt omnes: de bubone verò, carbunculo atque ecthymatis aliter iudicandum. Nam cùm ex tumorum ſint genere remediáque medica poſtulẽt, non ſymptomatum, vt priora illa, ſed morborum nomenclaturam mereri palàm eſt.

Cæterùm

Cæterùm ſunt ex Medicis primæ notæ non pauci, qui ex tumoribus hiſce febrem deducant: hac adducti ratione quòd dum in his ardore deflagrant putreſcúntque humores, quia coarctati nimiùm, coërciti & impacti difflari nequeant: fit, vt ab iis excitati tetri, putres atque venenati halitus, ínque ipſam Cordis arcem ſubuolantes, putridam ex ſolo vapore peſtilentem excitent: quæ noſtra quoque ſentẽtia eſt. Atque alia eſt etiam febrium eiuſmodi procreandarum ratio ex ipſà partium ſerie, qua fit vt primæ omnium partes tumori vicinæ inflammatione atque putredine contaminentur: ab his quæ continuato ordine ſuccedunt, ac deinceps reliquæ, dum labes venas partéſque omnes ſenſim peruagata quicquid in his putrere aptum erat abſorbuerit, ac tãdem in Cordis vſque ſedem ſpirituum humorúmque ceu vehiculo permanauerit atque irrepſerit, indéque putridam febrem eámque ſymptomaticam atque adeò continuam ſuccenderit. Haud abſimili ratione ab externa cauſa, quam Græci προκαταρκτικὴν nominant, ſolo caloris incremento ſimplex febris excitatur, cùm exurens cauſticúmve medicamentum carbunculo aut buboni admotum vi ſua calorem accendit Cordi continuatione quadam impertitum: ex quo tãdem arteriarum admini-

Symptomaticæ febris origo.

Gal. 1. de diff. feb.

culo in corpus vniuerſum diffluit. Porrò de antè memoratis tumoribus illud adiiciendum, eos qui nulladum febre apparente erumpunt in ſedem à primariis viſceribus longè diſsitam, minus grauem mitiorémque peſtem denuntiare, robuſtámque Cordis naturam dum veneno laceſsitur, ipſum ſtatim foràs propuliſſe. Longè alia omniúmque pernicioſiſsima eſt eorum tumorum natura, qui (quod ſæpiùs euenire animaduertimus) poſt accenſam febrim exoriũtur. Nam quoniam vix niſi veneni iam victoris impetu prorumpunt, videntur proſtratæ naturæ pernicioſa indicia ac velut erecta de calore natiuo trophæa.

Quoniam peſtilentium morborum generibus propoſitis, procreationis modum adiunximus cuiuſque generis: facilè quæ cuiuſque ſubſtantia ſit poterimus (niſi nos ipſos valdè fallimus) aut definiendo explicare, aut vberiore deſcriptione ante legentium oculos ponere. Igitur Peſtis quam ſimplicẽ hucuſque nominauimus, aliud nil eſt, quàm ſubſtãtiæ totius Cordis primùm, deinde κατὰ συμπάθειαν partium reliquarum corruptio ab ambientis inquinamento totius ſubſtantiæ proprietate infenſo inuecta, quæque contagionis pernicioſiſsimæ ſeminaria in ſeſe continet. Nec verò ſum neſcius peſtis ver-

Peſtis ſimplicis deſcriptio.

bum

bum variè alitérque aliis atque aliis vſurpari ſolere: vt, peſte deſignari quibuſdam τὴν τοῦ ἀέρος φθοράν, vel, vt Philonis verbis vtar, τὸν ἀέρος θάνατον: Hippocrati verò febrem omnem epidemiam, quo in ſignificatu videtur accepiſſe, cùm diceret τὸν κοινὸν ἅπασι πυρετὸν λοιμὸν καλέεσθαι: denique populari ſermone paſsim bubonẽ ipſum peſtem appellari. Veruntamẽ vt ex tanta ſignificationum varietate rem in arctum anguſtúmque contraherem, viſum eſt Peſtis nomen ad hanc morborum ſpeciem accommodare, quam modò deſcriptione expreſsimus. Atque quòd hanc quidam febris hecticæ nomine cenſent, ineptè id quidem & καταχρηστικῶς noſtro iudicio: cùm ne febris quidem ſit, mortémque inferat citiùs, quàm vllo caloris febrilis indicio ſeſe prodat: qua in re cum hectica quæ non niſi tardiſsimè perimit vel ex diametro pugnat, tantum abeſt vt hectica peſtilens eſſe poſsit. De peſte quę ſine febre ſit, hæc ſatis.

Lib. de mundo.

Lib. de flatibus.

Hip. 3. epid. part. 3. cont. 58.

Gal. 3. epid. comment. 6. tex. 59. & 9. ſimpl. cap. de terra ſamia, quo loco de bolo armena agit.

Quæ febris peſtilens ſimplex eſt, ea eſt in caloris exuperantia, nec aliud quicquam quàm peſtis febre ſimplici comitata. At putridam peſtilẽtem rectè definias, peſtem cum febre ex putredine coniunctam. Simplicium autem atque putridarum febrium vim naturámque proſequi noſtri non eſt inſtituti. Quin ſatis hoc lo-

Febris peſtilens ſimplex.

Peſtilẽs putrida.

eo fuerit monuisse febrium hæc genera duo pesti non rarò implicari solere, vt intelligatur tamen non vnam eandémque esse huic & illis, sed suam cuique peculiarem essentiam & originem. Nam pestis perniciem præsefert quauis intemperie nocentiorem, omni putredine ferociorem, quæ denique quouis alio veneno expeditiùs & acerbiùs Cor vitæ fontem obsideat demoliatúrque: quam certè perniciem nulla neque putrida neque simplex febris adeò præsentem vnquam intulerit.

Bubo. Quoniam autem hæ maximè febres tumoribus consociatæ spectantur, vt in suscepto proposito permaneamus, bubonum hîc explicanda vis est & natura. Eo nomine complectuntur ferè Medici tumores omnes quicunque in adenum locis emergunt: antrosa tubercula quibusdam propterea dicuntur, quòd in glandulis velut in antro aliquo delitescant, Arabes *althoim* nominant. Ex his verò tumoribus φλεγμονῆς naturam maximè attingunt qui statim & augentur & suppurant, fiúntque ex sanguine: qui verò non ex sincero sanguine, sed ex materia fiunt varia, hi aut φλεγμονώδους ἐρυσιπέλατος, aut ἐρυσιπελατώδους φλεγμονῆς naturam resipiunt, omnésque & ægrè maturescunt & serò pus ingenerant. Ac priores quidem φύματα seu tubercula nuncupãtur: posteriores

Paul. lib. 4. cap. 22.

φύγε-

φύγεθλοι seu φύγεθλα, Latinis ex simili forma panes seu pani apto peculiaríque verbo nominantur. Omne porrò bubonum genus ex causarum duarum oritur altera, occulta aut manifesta. Atque euidens manifestáque eorum est causa, qui ex vicinæ partis prolapsu, vulnere, vlceréve aut tumore atrociter cruciante κατὰ συμπάθειαν oriuntur, ac tales quidem diariam febrem ferè habent coniunctam. Eodem ex causæ genere criticus est bubo, qui post diuturnas febres quandoque sese prodit ex frigidioris humoris decubitu, ἀπόσκημμα Græci vocant. Quorum verò cæca occultáque est causa, hi maligni venenatíque reuera & sunt & dicuntur: quorum hic venereus, ille pestilẽs. Posterior hic aliud nihil est, quàm inflammatio in adenibus oborta ex impacta humorum colluuie venenatáque materia, quæ à principibus partibus eò depulsa exitum quærit: estque is ex perniciosa causa salutare signum, tùm maximè cùm absq; partium illarum læsione prorumpit: pessimum contrà, si secùs acciderit. Bubonem hunc pestilentem Arabes strictiore significato *Carmata* dixerunt: nam & id nominis latiùs interdum ad omnem in vniuersum pestilentem tumorem videntur transtulisse. A cæteris verò quæ sunt absque pestis suspicione glandularum inflammationibus

Orib. syn. li. 7. cap. 31.

quibus hæc indiciis diſtinguatur, infrà, iuuante Deo, docebimus. Cæterùm quot emiſſaria in quæ principes partes excrementa deponant fabricata eſt natura, totidem atque iiſdem in ſedibus, ſed modò his, modò illis eiuſmodi imflammatio oboriri conſueuit: ſub mento circa iugulum, in axillis, pone aures, deniq; in ipſis inguinibus, quæ propriè maximéque omnium βουβῶνος nomine gaudet, vti quæ poſt aures gignitur, παρωτίδος. Accidit nonnunquàm plures bubones in pleriſq; omnibus ſimul emiſſariis protuberare. Eorundem illorum tumorum ſchemata diuerſa: vt alij rotundi ſint, oblongi alij, alij in mucronem faſtigiati: atque ij rurſum omnes aliis alij maiores minoréſve conſpiciantur. Denique ſunt qui ab ipſo ſtatim exortu altiùs intrò recedant, euaneſcántve: & qui priùs molleſcere videbantur nonnulli, denuò indureſcant.

Hipp. 6. epid. ſect. 2. aph. 4.

Carbũculus.

Carbonis ſeu Carbunculi, quem Græci ἄνθρακα, Arabum Interpretes prunam ignémve perſicum nuncupãt genera ſunt duo: alter enim ſimplex ac tantùm malignus eſt Carbunculus, alter verò etiam peſtilẽs. Ille ſanguine ex fæculẽto, craſſo, efferueſcente ac præ aduſtione in bilem retorridam conuerſo excitatur: hic modò dictis venenatam qualitatem inſuper adiecit. Ille quouis anni tempore: hic peſti-

lenti

lenti duntaxat tempeſtate gigni procrearíque ſolet. Malignus vterque: ſed poſterior tamen perniciem pręſefert cùm priore, tum vel ipſo bubone peſtilente ſæuiorem. Neuter verò è ſtata aliqua ſede, vti bubo, ſed ſine diſcrimine ambo ex ſumma corporis parte modò hac, modò illa proſiliunt: interdum faucium è regione conſpicui, nonnũquam in cor ipſum ambiente ac vndique contegente regione, aliàs circa ſtomachum, aliàs in cole, aliàs denique non in palpebra ſolùm, ſed & in ipſo oculi cauo: atque hi quidem Paulo ἀνθρακώσεις peculiari nomine nuncupantur. Ergo Carbunculum vt non definiamus, deſcriptione tamen aptiſsimè ſignificare poſſumus, tumorem extra naturæ modum eſſe ex ſanguinis atri, aduſti atq; retorridi feruentiſsima materia cum venenata qualitate coniuncta progenitum, ac ſeſe tandem cruſtoſo vtplurimùm vlcere prodentem nigro, cinereo vel ſubliuido ac partis circunſtantis inflammatione doloréque implacabili comitatum.

Gal. comm. 3. in 3. epid. cap. 12.

lib. 3. cap. 22.

Quoniam omnia proſequimur, quæ Medici ἐξανθήματα vocant, ſunt in vniuerſum leues quæcunque humorum ſumma cute eruptiones, ſic appellatæ quòd turgentium ad florem in plantis gemmarum inſtar extuberent. Ei porrò generi tùm ſubiacent φλυκταίναι quælibet, ψυδρά-

κια, ἐπινυκτίδες, λειχῆνες & eiusmodi aliæ cutis fœditates. Est & altera eáque angustior ex Galeni mente significatio, qua significatas voluit eruptiones partim latas & humiles, colore rubras aut purpureas, partim etiã sublimes, q̃ infantibus ac pueris sæpè, grãdioribus rarò non modò extima cute efflorescũt, sed & viscera, musculos, neruos cęteraq; interiora obsidēt. Plinius papulas & pituitæ eruptiones nominat, Alsaharauius *Algidra* & *Alhasba*, nostri *petite verolle* & *rougeolle*. Rhasis Græcus interpres λοιμικὴν ϗ εὐλογίαν, seu potius εὐφλογίαν, Arabum Interpretes variolas & morbillos vertêrunt: atque hos quidem Græci generis nomine ἐξανθήματα, illas verò ἐκθύματα ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, τοῦτ' ἐστὶν, ἐξορμᾶν, videntur appellasse. Nec verò audiendi summo alioqui iudicio & autoritate Medici, qui eruptionũ genera hæc duo pestilentibus symptomatis audenter annumerant, tum freti fortaßis eius autoritate qui λοιμικῆς nomen variolis tribuere videtur quíque idem opusculum id quo Rhazes iam olim de variolis ac morbillis agebat, περὶ λοιμικῆς inscripsit: tum & hoc argumēto adducti, quòd cùm aliàs tum vel maximè in pestilenti constitutione populatim grassari videãtur. Ego contrà vt ingenuè fatear duo hæc de quibus iandiu agimus, plerunque epidemios esse affectus,

Meth. med. lib. 5.

Gal. com. in 3. epid. ca. 51.

Papulas ac pituitæ eruptiones propriè dictas in pestilentibus affectibus haud esse numerandas.

affectus fereq́ue antecesſione peſtilentiam prænuntiare, interdum etiam comitari, & tùm maximè cùm ad peſtilentem cõſtitutionem accedit epidemium quiddam: ita diffiteor & pernego inter peſtis ſæuientis ſymptomata ſimpliciteŕve peſtilentes morbos annumerari oportere. Quid quòd ne poſſunt quidem? Nam & contrà quàm ferat peſtis natura, magnam partem eruptiones eæ ſalubres mitioríſq; naturæ exiſtunt: nec ſemper ex communiore cauſa, ſed & quandoque ex particulari quapiam originem ducunt. Hæ ſemel ferè vixq́ue amplius toto vitæ curriculo quempiam inuadunt: at peſtis bis teŕve, ſæpiùs interdum. Hęc ipſa ætatum eſt omnium abſque diſcrimine communis: illæ autem eruptiones infantiam ferè ac pueritiam, adoleſcentes interdum, rariſsimè ſenes viſæ ſunt adoriri. De his hactenus. Quæ autem tum maculæ tum puſtulæ peſtilentibus morbis ſuperuenire conſueuêrunt, à modò dictis longè lateq́ue differunt, vix vt vlla cum illis cognatione coniuncta videantur. Quas equidem maculas nomino, eæ citra vllam carnis aut cutis extuberationem vel certè perquàm exiguam cõſpiciuntur. Alij pulicaria, culicaria cimicariáve ſymptomata, quia pulicum, culicum, cimicúmve, morſibus ſint ſpecie perquàm ſimillima: eaſdem non-

Stigmata.

nulli à lentiginum forma lenticulas, quidam etiam puncticula nuncupant. Græci στίγματα vel ἐξανθήματα οἷα ἀπὸ κωνώπων videntur appellasse: Venetis *petechie*, Mediolanensibus *macchie*, Neapolitanorum vulgo *pastitÿ* dicũtur. De his ipsis agere mea sententia videtur Hipp. quo loco quibusdam ait apparuisse τρηχίσματα ἐν τῷ χρωτὶ κεγχρώδεα τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν. Fuerunt olim hæ ipsæ maculæ (si Fracastorio magna fide viro credimus) Cypro & vicinis insulis endemiæ: at nostra hac ætate passim febres pestilentes ferè comitari ac tertio quartóve potissimùm die nulla plerunque neque crisi neque solutione emergere cernuntur. Harum omnium non color vnus, sed varius, vt est huius aut illius humoris vitiati maior minórve permistio veneníque pernicies: quædam enim rubro purpureóve colore, aliæ nigræ, violaceæ aut liuidæ conspiciũtur: nec desunt qui citrinas aut subalbidas, sunt & qui virentes obseruauerint. Hæ autem seu raræ seu frequentes, quocunque tamen sint colore, aliàs toto corpore, aliàs certis tantùm partibus efflorescunt: in quo rursus & illud obseruãdum, euenire interdum vt posteaquàm apparuerint, imbecilla iam deuictáque natura retrocedãt, omnémque aspectum fugiẽtes intùs abditæ delitescant. In non-

Hipp. 3. epid.

Hipp. 7. epid.

Sect. 3. 3. epid.

Cap. 6. lib. 2. de contag.

nullis contrà fit: quorum adhuc viuẽtium corporibus nulla ne minima quidem macula comparuit, post eorundem obitum non paucæ aut etiam plurimæ, dum residui caloris pusillum supersit, sese patefaciunt. Sunt igitur pestilẽtia στίγματα, summam cutem inficientes maculæ ab humore aut vapore bilioso eóque non solitario, sed cui venenatæ qualitatis non parùm accesserit, exiles hæ quidem: ampliores verò multóque latiores aliæ quæ summa corporis huc atque illuc sparsæ quandoque occupant inficiúntque, non iam στιγμάτων, sed macularum simplicium aut ἐρυσιπελατώδων nomen merentur.

Ex reliquis summam cutem fœdantibus ad pestilentiæ maximè naturam illa pertinere videntur, quæ Græcis ἐκθύματα dicuntur, sed ferocia plerunque minore. Pustulæ verò sunt seu vesiculæ ex sanguinis serosiore pituitosioréve simul & biliosiore parte eadémque venenata summa cute prorumpentes. Huiusmodi tubercula, fortè quia acris humoris corporis habitum erodentis indicio sunt, Hippocrati ni fallor, σήπτες dicuntur: quo loco, καὶ ἄλλα, inquit, ἃ σὴψ καλέεται, ἐκθύματα μεγάλα: alibi verò ἀπὸ τοῦ ἐκφύεσθαι ἐκφύματα, vt aliis ἀπὸ τοῦ φλύειν, φλύζειν vel φλύσσειν, φλυζάκια, φλυκτήναι, φλυκτίδες & φλυκταινίδια nominantur. Videntur & πέμφιγες dici posse,

Ecthymata.

Epidem. lib. 3. sect. 3.

6.epid. text. 29.

si, vt est vero simile, quas febres Hippocr. πεμφιγώδεας nominauit huiusmodi pustulæ aliquæ comitabantur. Atque vt στιγμάτων, ita & ἐκθυμάτων colores varij: vt in quo genere nigra, liuida aut etiam pallida conspiciantur. Pruriginosa quidem omnia: at modò ruptis iis in subiecta carne vlcuscula sese produnt sanie manantia & carbunculorum imitata naturam: modò absque vlceris nota sua tandē sponte in squāmas siccescunt. Sunt quę feruore, inflammatione immaníque dolore ægrotos excrucient. Rursum nunc plures sunt & maiores pustulæ, nunc pauciores minorésque. Aliàs per cutem extimam vniuersam sparguntur, aliàs in paucioribus quibusdam partibus consistunt: atque has quidem malignitate cæteris omnibus antecedere Herodotus Medicus asseruit. Denique in tanta varietate sunt quæ diutiùs perdurent, aliæ quæ celeriter resiccentur & cōcidant, aliæ quæ vixdum conspectæ statim altiùs intrò remeare videantur.

Aëris & morborum pestilentium causæ. *Cap. IIII.*

SVprà cùm de occultis morbis mentio incidisset, obiter admonuimus pestilentiæ cæcam & abditam esse causam, eandémque aliunde

quàm

ex primis qualitatibus aut putredine profectam, vt quæ non manifesta qualitate, sed occulta planè nullóque sensu percepta substantiæ totius proprietate nobis infensa sit: quod quidem non tam de pestis causa remotiore, quàm de propinqua atque ex secundariarum ordine præcipua intellectum voluimus. Etenim è pestilentiæ causis vnam primam esse quam verè remotiorem appelles, nemo homo non agnoscat, nisi qui exculta mente careat, cęteras verò propinquas: quarum rursus primaria atque principalis vna sit, reliquæ adiuuantes. Est autem causarum omnium causa prima eadémque remota (vt hominum more loquar) ira iustissima iniuriarum scelerúmque omnium vindicis Dei, qui quoties ciuitatem prouinciámve aliquam aut etiam regionem totam ob incolarum flagitia atrociáve peccata vlcisci & mortales à corruptela morum ad meliorem frugē, deuios inquam in viam & ad sese parentem opificémque omnium reuocare statuit, acerbissimam pestem eámque modò particularem, modò vniuersam cœlitùs in terras demittit, quemadmodū aliàs fera bella, vt est hominum meritum, excitat: aliàs alimentorum maximè necessariorum penuriam famémq; inducit. Nam vt tot miserias ærumnásque alias omittam quibus merito suo morta-

Prima remotáque pestilentiæ causa.

les premuntur affliguntúrque, totidē iniustitiæ omnis vltori Deo præstò sunt ceu lictores atque satellites ad exequendam vindictam & vt hominum grauiora peccata sibi perquàm inuisa vlciscatur puniátque. Hęc tela ipsa, hi veluti carnifices, quibus modò singulis, modò simul omnibus vtitur, ídque detestandæ flagitiosorum hominum impietati pro iudicio arbitrióque suo decreta statutáque pœna iustissima. Ac ne cui fortasse non ex cœlesti diuinitúsque inspirata doctrina, sed ex nostro sensu hæc depromta videantur: referam non quod ipse sentio, sed quod Spiritus Diuinus in Deut. quo loco Deus iis qui sibi dicto audientes fuerint fausta omnia fœliciáque: iis contrà qui secùs faxint, malorum velut agmen omniúmque maledictionum cumulum monet expectandum esse, ídque in hæc verba: *Quòd nisi Domino Deo tuo dicto audiens fueris, nec statuta præceptáque omnia quæ hodie tibi trado solicitè obseruaueris executúsque fueris, delabentur in te omnes hæ maledictiones & apprehendent te. Maledictus eris in vrbe, maledictus in agro.* Deinde subdit: *Immittet tibi Dominus maledictionem, interturbationem & dissipationem in omnibus ad quæ facienda manum tuam applicueris, eousque vt te quamprimùm deleat ac perdat propter malitiam operum quibus dereliquisti me. Infestabit te Dominus*

Singulares atrocium peccatorum pœnæ.

Cap. 28.

Vers. 15.

Vers. 20.

minus tabe, febre, ardore, æstu, gladio, vredine & rubigine, ac te dum pereas persequetur. Fiet cæli qui tuo vertici imminent ærei, terra verò quæ tibi subiacet ferrea, &c. Hasce tam multas támque graues comminationes pluribus subinde locis iteratas, ab eodem ipso vltore ad rem collatas réque ipsa expressas fidem facit dira illa pestilentia quam in Aegyptiorum gentem vniuersam immisit, Pharaonis contumacissimam rebellionem vlciscens. Illustris ea quidem superbissimæ rebellionis Diuina vltio: sed hoc quoque confidentiæ inanis diuinitùs punitæ exemplum illustrissimum. Dauid Israëlitarum Rex cùm suarum copiarum multitudine gloriabundus edicto sanxisset, vt vniuersi populi census haberetur, tridui spatio septuaginta millium suæ ditionis hominum iacturam facit. Hanc ergo Regis κενοδοξίαν Deus quo modo vltus est? aut quo tandem teli genere tam citò cæsa iacuêre tot hominum millia? Ipsissima certè quidem peste quæ omnium post hominum memoriam fuit acerbissima: nihilominus delata priùs per Prophetam septennis famis, trimestris belli triduanęque pestis optione, hanc cœlesti planéq; diuino instinctu elegit ipse, vt quam præ commemoratis aliis longè grauissimis quam minimùm auersaretur. Has ipsas scelerum pœnas ex Ethnicis docti aliquot

Numer. 14. *Leuit.* 26. *Ierē.* 14. 15, & 21. *Ezech. cap.* 5. 7. 14. 28. & 33. *Exod.* 9.

2. *Reg. cap.* 24, & 1. *Paral. cap.* 21.

vſúque periti decerni diuinitùs agnouerunt, ac imprimis diuinus ille Plato, qui miſerorum mortalium grauiſsimos morbos &angores haud obſcurè fatetur ex ira Deorum humanis incenſa aſperatáve peccatis proficiſci. Eôdem etiam ſpectat Senecæ illud:

In Phædone

In tragœd. Herc.fur.

Quicquid facimus mortale genus,
Quicquid patimur, venit ab alto.

Sic & hauddubia ira Deûm agris vrbíque inferri peſtilentiam agnouêre omnium ſuperbiſsimi Romani, teſte Liuio. Quid quòd Galenus in Epidem.peſtis tum cauſam tum curationẽ ſua ætate nullum non ad Deos retuliſſe aſſeuerat, idémque faciendum ipſe quoque agnouit, quanuis vt ſibi parùm conſtans ipſum illud alibi negare videatur? Nec eſt prætermittendum antiquiſsimi Homeri teſtimonium, qui hanc eandẽ cauſam non ad verum Deum, quem ipſe neſciuit, vt nec illi, ſed ad Apollinem ſuum retulit: dum Calchantem ſuperſtitioſum vatẽ inducit, qui grauis peſtilentiæ in exercitu Græcorum ab Apolline excitatæ cauſam indicat, numinis in ſacerdotis Chryſæ perſona contemtum neglectámque religionem: ac proinde nõ niſi precibus, ſacrificiis, reſtitutáque ſacerdoti filia opprobrium ſarciri ipſúmque numen placari poſſe demõſtrat. Sed & eodem authore pluribus aliis ex locis diſci

Decad. 1.li. 5.

Com.1. in 1. epid.

Com. in prænot.

Iliad. α.

poteſt illius ætate quoſuis morbos ad irã Deorum immortalium relatos eſſe & ab iiſdem opem poſci ſolitam. Ouidium mitto diſertè docentem non niſi propter impietates, libidines & adulteria peſtem infligi mortalibus. Arabs Auenzoar non abſque Dei omnipotentis arbitrio peſtem graſſari teſtatur. In ea quoque opinione eſt Auicennas, qui cõceptis verbis peſtem vnum è flagellis eſſe aſſeruit, quibus diuinitùs flagitioſorum hominũ peccata puniantur. Et hęc profectò res Hippocratem etiã mouiſſe videtur, vt θεῖον quiddam peſtilentibus in morbis & ambiente nos aëre agnoſceret, Diuinæque prouidentiæ in procreãdis morbis non parùm, plurimum etiam tribueret. Atque hæc quidem de peſtis cauſa remota: qui ipſe Deus eſt opt. max. ſolitus modò propinquarum cauſarum interuentu, modò etiam ſine his ſuopte nutu peſtilentiam immittere.

Celſ. in præf. ſui operis.
7. Metamorphoſ.
3. Theiſir.
lib. 1. præſag. 7.

Cauſarum genus alterum ad propinquas pertinet, quas eaſdem quoque naturales dicimus: mundi enim æternus Opifex creatas natáſque res pro ineffabili ſua ſapientia, quoties viſum eſt, diſponit & ordinat, vt iis tanquam mediis vtatur ad peſtilentem luem mortalibus inferẽdam. Ex propinquarum verò cauſarum genere principatum obtinere videtur toties inculcatum cõtagij ſeminarium ἀντιπαθεία

hominis naturę infenſiſsimum, idque ſiue naturarum inter ſe cõtrarietate, ſiue quia corporum ſubſtantiam totam deleteria vi ac poteſtate diſſoluat: νοσηρὴν ἀπόκρισιν nominat Hipp. λοιμικὴν ἀποῤῥοίαν Aphrod. Poſterioris generis ſunt adiuuãtes atque συναίτιοι: quæcunque nimirum aërem, loca, tempeſtates atque adeò corpora ipſa immutant præparántve, ac excipiendo contagij ſeminario ἀνάλογα reddere conſueuêrunt: nec his minùs quæcunque iam genitę peſtilentiæ vim naturámque augere atque conſeruare nata ſunt.

Contagii ſeminariũ cauſa peſtilentiæ principalis.

Ac latiſsimè patêre videtur contagij ſeminarium: ipſum enim nulli priuatim homini peculiare vel in aëre quamlibet vaſto concipitur: vel in veſte, ſupellectili aut aliis quibuſcunque inquinamentis aliunde importatis conſiſtit ac hæret, peregrinúmque tum eſt totum & aliunde inuectum. Porrò circunfuſus aër contagionis ſeminaria excepiſſe ac proinde peſtilẽtiæ naturam attigiſſe iudicatur, qui non qualitatibus ipſis, ſed tota ſui ſubſtantia vitiatus eſt: ſiue iam corrumpatur, vt plerique multi loquuntur, ſiue duntaxat ad corruptionem quadam aptitudine conuenientiáque vergat. Eſt autem magna vis & efficacitas aëris, idque duplici ratione: & quòd per cuncta rerum meabilis plurimos attingat, & quòd eius incommoda

Gal. in 2. de nat. hum. part. 4.

non

non vt cęterorum facilè declines. Quippe quoad viuimus, necessariò spiritū de cælo ducimus tum ad refrigerij necessitatē, tum ad caloris natiui pabulum: constátq; animam sine spiritu & aëre teneri conseruaríque, nec eo animantem vllam vllo modo carere posse. Nam quemadmodum nequit ignea flamma conseruari sine continuo accessu aëris idonei, qui & illi refrigerationis auxilium præstet & tanquam pabulum sese offerat: ita & natiuus calor qui corpora regit atque moderatur, sit licet æthereus, partim inspiratu subeuntis, partim etiam nos circunfundentis aëris frigidiusculi appulsum continenter desiderat, quo recreetur, foueatur, conseruetur. Hic itaque tenuis, serenus, purus benéque temperatus spiritus primùm, deinde humores ipsámque partium substantiam atque adeò corpus vniuersum bene salubritérque suis illis eximiis dotibus afficit: qui contrà de statu naturali transierit in eum qui est præter naturam, non modò contentos spiritus ac humores, sed ipsum etiam continēs malè afficit immutátque pro suæ affectionis ratione.

Aeris necessitas.

Aegin. lib. 2. cap. 35.

Bifariàm autem à naturali statu recedit aër: aut enim primis qualitatibus, iísque tum simplicibus tum compositis immoderationem subit, aut etiam ipsa sui substantia ex materia & forma simul iun-

Aeris vitiū duplex.

Gal. art. me. tex. 85. & 2. de nat. hum. 1. de sanit.

tuenda 12. Meth. ca. 5.

ctis constituta. Ac aëris quidem immutata qualitas si intemperiem insignem ac paulò diuturniorem sibi asciuerit, Epidemiorum certè morborum nec tamen illicò pestilentium opifex & autor extiterit. Quod autem suprà diximus, pestilentes morbos omnem nostri substantiam offendere ac labefactare, id eò pertinet, vt aërem etiam ipsum à quo inferuntur tota sui substãtia immutatum immoderatúmque esse necessariò sit existimãdum: quandoquidem actio omnis ex contrariis est quę sub vno eodémque genere sunt comprehensa, proindéque vnum ex iis est quę fieri omnino non possunt, vt vel qualitas in substantiam, vel in qualitatem substantia primariò ac per se agat. Nec verum est quod credunt nonnulli, Galenum innuere solam etiam aëris intemperiem pestis causam esse posse, nixi, arbitror, sed parùm firmiter hisce ipsius verbis: *Contingit quandoque pracedere ambientis aeris caliditatem immoderatam, vt in ea peste qua Athenienses inuasit.* Esto enim regio feruida & æstuosa, tempestas item ignea & torrida fuerit, tùm si qua prętereà concurrisse velint: ea omnia quid, quæso, potuêrunt aliud quàm spiritus inflãmare, sanguinem & humores ardoribus extorrere, bilem augere & exacuere? His quidem ex causis fateor variorum morborum horúmque

Aër non nisi ipsa sui substantia immutatus pestilentes morbos infert.

Li. 1. de diff. feb.

acuto-

acutorum prouentum ſuſcitari potuiſſe: attamen vt tã grauis oboriretur peſtilentia, aëreæ ſubſtantiæ totius vitium inſuper acceſsiſſe neceſſariũ fuit: quod ipſum intelligere datur ex eo quod aſſerit Thucydides per continuũ ex Aethiopia quædam peſtilentiæ fluxiſſe contagia. Vrgebit fortè quiſpiam hac Hipp. autoritate fretus: *Erant in Cranone carbunculi æſtiui, pluerat per æſtatem largo aſſiduóque imbri: acciderant autem ij potiſſimum Auſtro flante.* Opponet fortaſsis & eiuſdem autoris locum illum alterum: *Annus Auſtrinus, pluuius, à ventis in totum ſilens.* Atq; hoc Hipp. duplici teſtimonio confirmare conabitur ex tẽpeſtate calida & humida peſtem oriri: ſed fruſtrà, mea quidem ſententia. Nam reſpondere facile fuerit, aëris illam intemperiem cauſam peſtis haud effectricem procreatricémve primariam extitiſſe, ſed adiuuãtem duntaxat atque συναίτιον, quòd ad peſtem ingenerandã primùm acceſſerit aëris impurior eſſentia, quemadmodum & iiſdem locis tum Galenus tum Hipp. ipſe luculenter aſſerunt. Ac in illiuſmodi quidem conſtitutione inquinari ſolet aër, haud ſecùs atque grauibus in locis ex ſtagnantium aquarũ paludúm ve grauibus aſpirationibus, vti rectè monet Ariſtoteles, quo loco quærit, Cur annus euadat peſtilens, cùm Sol plurimos de

Lib. 2. hiſt. Pelop.

Epid. 2.

Epid. 3.

Probl. 21. ſect. 1.

terra vapores excitat. Ergo vt pestilentia gignatur, haud solam aëris intemperiem accedere, sed ipsius quoque substantię vitium concurrere necessum est: quod rationibus iam addictũ necessariis eiusdem etiam Philosophi firma autoritate nititur, dum *iis homines*, ait, *morbis vbique celerrimè corripi, qui è spiritu id est aëre corrupto proueniunt: ex quo genere est pestilentium affectuum omne genus*. Ipso enim corrupti verbo apertè indicat in pestilẽtia ipsissimam aeris substantiam, nedum solam eius qualitatem haud leuiter immutari.

Problem. 4. sect. 7.

Auerr. 3. th. tr. 3. ca. 1.

Totius autem aëreæ substantiæ vitium vel est propriè dicta putredo aut corruptio, vel quæ infectio tantùm dici mereatur. Ac priore quidem modo aëra corrumpi, id est transire ab eo quod est ad non esse, vti loquuntur, indubitatũ est, siquidem elementorum transitum in sese mutuum admittimus. Dum enim ex aëre fit ignis aut aqua, qui priùs aër erat, aër esse desinit, hoc est, aëri sua non manet species seu forma, sed ex necessitate corrumpitur, vt ex eo fiant quæ fieri posse modò diximùs: quo certè modo & ipsam seminis formam corrumpi necessum est, vt ex eo nascatur vel planta vel animal. Sic putrescere quoque aërem animaduersum est ex multis assiduísque imbribus, cùm non perflatus præter naturæ suæ modum humescit

Vitium aeris quod pestilentiã cõmittit propriè inquinationem dici posse.

mado-

madoréve perfunditur: quod cum asserimus, non est putandum nos Philosophorum Principis sententiæ velle repugnare, qui quidẽ arctè tenet nec ignẽ nec aërem putrescere vnquã posse. Certissimũ enim hoc ipsum est, ac de aëris suprema regione intelligendũ, quam manifestò constat propter ætheris viciniam non refrigerationi humectationíve, ac proinde ne putredini quidem ipsi obnoxiam esse. Par eadémque est ratio aëris vniuersi, dum naturam suam integram seruat, estq́ue substantia tota purus omnino, sincerus alienæq; permistionis expers. De aëris vera corruptione aut putredine hactenus. At verò cùm in pestilentia corrumpi aërem dicimus, de horum neutro genere sermo nobis est, sed de ea tantùm infectione, vel, vt aptiùs dicam, deformatione, de qua & ipse agere visus est Aristoteles summo vir ingenio, cùm diceret prętér ignem omnia putrescere. Ea verò est, quæ fit ex admistione vaporum aliorúmve inquinamentorum. Potest enim aër ipse inquinamentorum genera varia tanquam sparsa morborum semina & in sese concipere & aliunde inuecta excipere, inq́ue sui substantiam totam admittere: vixq́ue alia vlla est ratio, qua aërem in pestilenti constitutione corrumpi totáve sui substantia in perniciosissimam humano generi naturam

Probl.20. sect.25.

4. Meteor. cap.1.

mutari posſit intelligi. Mos tamen inualuit, vt eum in modum cùm inquinatur aër, nō tantū pollui aut labefactari ipſum, verumetiā corrumpi dicamus. Quòd ſi circunfuſus aër per ſe totaque ſubſtātia corrumperetur omnino aut verè putreſceret, tùm profectò omnia peræquè animantia nedum ſoli homines eodem exitio tenerentur atque corruerent, ipſæque adeò plantæ marceſcerent. Tanta viuentium generi omni aëris ad vitam tuendam ab ortu ſtatim eſt iniecta neceſsitas.

Aer inquinatus non omni pariter animantium generi nec omnibus perinde hominibus est infensus & exitialis.

Exquirat hîc fortaſſe quiſpiam: Cum aëris inſpiratio omnes animātes ex æquo tueatur atque ſuſtineat toti illarum generi ſalutaris, cur non & pari ratione cui venenata pernicioſaque exhalatio ſeu peſtilens aura permiſcetur, brutis pariter atque hominibus exitio ſit futurus? Eſt certè perfacilis ex Hippo. ſolutio, quo loco hanc eandem quæſtionem mouet. *Differt*, inquit, *corpus à corpore, natura à natura & nutrimentum à nutrimento. Nec enim omni animantium generi eadem aut non conferunt aut commoda ſunt, ſed ſunt alia aliis magis minúſve conuenientia. Quando igitur aër eiuſmodi refertus eſt inquinamentis quibus humana natura offenditur, homines tum ægrotant. Quando verò alij cuipiam animantium generi aër eſt infeſtus, tùm genus illud morbo corripitur.*

Lib. de flatibus.

Eru

Erudita sanè & digna Medicorum Principe doctrina. Attamen haud ignoramus & ipsi quod à doctis olim vsuque peritis est obseruatum, aërem eiusmodi inquinamento quandoque labefactari corrumpique posse, vt vel pluribus animantium speciebus quæ temperamenti affinitatem conuenientiamque sortitæ sint, vel omni simul animantium generi sit aduersissimus. Sed rursum occurret nobis fortasse quispiam: Quid? qui solis hominibus deleterius est idemque pestilens aër, cur non pariter toti generi? Cui equidem quæstioni ex Gal. mente responderim, hominem etiam ab homine differre plurimùm, multiformesque esse ac planè dissimiles corporum humanorum naturas. Ex quo efficitur à pestilentiæ seminib. sparsis in aërem omnibus æquè inspiratum circunfusumque haud perinde omnes affici, sed eos tãtùm quibuscum est seminibus ipsis ἀναλογία iustáque proportio. Ea verò ἀναλογίας proportionísve ratio vt hominem neminem non latet, ita soli eius ipsius reliquarúmque rerum autori est perspecta: vt verè dictum antè pronuntiatúmque sit, abditam humanis ingeniis ac proinde occultam esse pestilentiæ causam. De his satis: ad propositum reuertamur.

1. de diff. feb.

Contagij seminarium seu, vt Hipp. verbis vtar, ὑστέρη ἀπόκρισις aëri ipsi accedit

Vnde accedat aeri contagii seminarium.

aliàs ἐμμέσως, aliàs ἀμέσως. Et ἀμέσως quidem, cùm extrinſecus aliũdéve non inuehitur, ſed in ipſo aëre & gignitur & principiò ſtatim apparet: ἐμμέσως verò, cùm ab alio profluxit elemento. Ἀμέσως igitur afficitur & inquinatur aër, à pluriũ quos peſtilẽtiæ labes iam infecit crebro frequentíque halitu vel expiratione: qua ex cauſa etiã ſola contagiũ fluxiſſe non rarò à pleriſq; multis animaduerſum eſt. Sic & à vẽtorũ ex loco peſtifero alioquíve inquinato ſpirantiũ, aut per ſtagnantes putrentéſve aquas delatorum flatibus aërem contaminari ſæpe obſeruatum eſt. Illi enim quacunq; cœli parte ſpirent, inde obuios quoſq; vapores exhalationéſq; ſecũ ex facili trãsferũt. Hoc ipſum & in Attica cõtigiſſe teſtatur tyrãnus peſtis Thucydides: dum ventorũ ex Aethiopia flatibus eò inuectã fuiſſe peſtilentiã cõmemorat. Eiuſmodi verò naturæ ventos à Deo iuſtiſſ. nõnunquã excitari & impelli, cũ in hominibus maleficia vindicare ſtatuit, & ipſe admonet Eccleſiaſticus, his verbis: ἔστι πνεύματα ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι, καὶ ἐν θυμῷ αὐτῶν ἐστερέωσε μάστιγας αὐτῶν. ἐν καιρῷ συντελείας ἰσχὺν ἐκχέουσι, καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν κοπάσουσι. Quinetiã coarctatũ diutina cõcluſione aërem inficì experientia ipſa teſtatum reliquit: id quod tùm accidere palàm eſt, cùm motu ſuo deſtituitur, neque adeò pro naturæ

Cap. 39. ver. 34. & 35.

naturæ ſuæ neceſsitate liberè difflari permittitur. Vt enim creata ferè omnia ſi quieta & immota iaceant ſintque aduentitio calore conſociata, & ſitum contrahunt & ex facili putreſcunt, quæ Ariſt. eſt doctrina multò certiſsima: ita ipſe quoque aër vento nullo perflatus, haud ſecus atque corpora humana, tum alia contrahit vitia, tum vel maximè putredinem: hæc ſiquidem mala omnia ad ventilationem perſpirationémque prohibitam referri oportere iudicant Philoſophorum ſapientiſsimi. Concluſum autem aërem intelligunt omnes, non eum modò qui circumſeptus eſt editioribus mōtium iugis, aut cauis aliíſve anguſtiis tanquam faucibus reſtrictus, ſed & qui tuguriolis priuatarúmque ædium conclaui aliquo, abacis aut arculis diutiùs obſeratis exactè vndique concluſus cohibetur. Talem enim tempore peſtiferum etiam euadere quandoque dubium non eſt. Teſtimonium ſi requiris, veniat in mentem arculæ aureæ memorabile exemplum, quæ Seleuciæ Apollini conſecrata Galeni ætate cùm à militibus A. Vidij Caſsij ad rem auidioribus aperiretur, fertur peſtilens ſpiritus non modò in Babyloniam illicò totam euaſiſſe, ſed & inde Parthos orbémque vniuerſum ita compleſſe, vt tertiam generis humani partem contagiis polluerit &

lib. 4. Meteor. cap. 1.

Iul. Capitol. in Vero Imperat.

mortibus. Narrant & quidam ex puteis diu arctéque contectis ac tandem retectis non sinę magna pernicie locis non paucis cœpisse contagium. De his quæ ἀμέσως aëri accedere solent hactenus.

Quæ verò aëri ἐμμέσως imprimuntur pestis contagiíque seminaria aliàs è subli mi prodeunt, aliàs ad causas inferiores referuntur, ad quas tamen ferè superiores harum reuera motrices concurrant: siquidem ex Philosophorum placitis illud est, à causis superioribus inferiores moueri, velut à suis efficiētibus effecta. Atque cœlum vnum ferè mala id genus aëri afflare Astrologia docet, quoties conueniunt hominum generi nocentia sydera: huiusmodi aiunt coitum esse planetarum superiorum Saturni Iouis & Martis in signis humanis, qualia esse volunt Virginem & Geminos: ac tùm potissimùm cùm Mars dominatur: & si quæ prætereà sunt aliæ magnæ coniunctiones. Alias insuper causas regionis aëreæ vitiatæ cœlitùs pendentes referri voluit Ptolemæus ad Solis ac Lunæ labores atque defectiones, quæ maleficæ huic illíve loco dominentur, aut quibus Mercurius suum virus asperserit. Nec desunt qui plurimùm tribuant ortui & occasui infœlici maleuolorum sydesrum: non pauciores, qui infaustis planetarum aspectibus atque cōcursibus. His addere

Pestilentiæ seminum inspersorũ aëri cœlestes causæ.

Albumaz. 5. de coniunctimagnis.

2. Quadripartiti.

dere placet quaſcunque cœleſtes cõfigurationes, ad quas aëris vitiati peſtilentiæve cauſas Aſtrologi cenſent eſſe referendas. Irrideant ſi qui volent: minùs tamen apud me valebit iſtorum hominum opinio, quàm vera ratio. Tantus enim cùm ſit cœli cum elementari orbe conſenſus, vt eius proſper influxus eximiis ſuis viribus per interiectum aërem impertitis animatorum omnium atque adeò inanimorum terra maríque contentorum incolumitatis ſit in cauſa: cõtrà hoc eodem non bene conſtituto, modò memoratorum omniũ vniuerſitatẽ maximéque omnium humana corpora ex neceſsitate malè affectum iri quis non videat? Quippe vnde princeps ac præcipua eſt rerum omnium ſalus & conſeruatio, illinc quoque earundem corruptio atque interitus. Atque illę quidem ſupernæ cœleſtéſque cauſæ dum quo dictum eſt modo aëream regionẽ labefactant inficiuntque, peſtilentias excitant ferè vniuerſas, hoc eſt totius alicuius regionis aut etiam plurium communes: quanquã non eã inficiâs ſyderum poſitus alios terris aliis aliíſque animantium generibus familiares, aut contrà inimicos magis minúſve eſſe: idque ita etiam accipi oportere, vt quamuis commemorata antè recurrerit aliqua cœleſtis influxus variatio, peſtilentiam tamen perpetuò

Pto.1.quad. cap.2.

ſubſequi neceſſe nō ſit. Adde ſcitu dignisſimum illud, quòd poſituum vis non rarò ab inerrantibus ſtellis retunditur, ſæpiſsimè autem ſuperiorum planetarum poſitus contrarij ſuperiorum vim hebetant. Vt enim Deus vniuerſi moderator ſapientiſsimus Cacodæmonum malitiæ frænos iniicit, ita & inſenſæ materiæ vagos & effrænes motus pro ineffabili ſua prudentia moderatur, vt coërceat interdum, cauſarúmque cœleſtium vim modo reſtringat & cohibeat, modò incitet, exaugeat & exacuat.

Peſtilentiæ ſeminum inferiores cauſæ.

Porrò ad inferiorum cauſarum genus eæ referēdæ videntur peſtilentiæ, quæ vel ſola aliqua in ciuitate, vel vno tantùm in populo aut etiam pago graſſantur: quæ vicum vnicum, priuatas aliquorum ædes, aut denique villam aliquam priuatim afficiunt atque depopulantur. Ex his itaque cauſis aëris ſalubris in grauem omninóq; peſtilentem fit tranſitus, cùm cœleſtium corporum vi motúque vapores magnam partem craſsi, caliginoſi, turbidi, interdum etiam quodammodo tenues è terra vel aquis ſurſum in aërē elati naturæ ſuæ commutationem eam ſuſtinent vt fiant peſtilentiæ ſemina. Ac ij quidem qui ex terra attolluntur, partim ex ipſa terræ ſuperficie, partim ex eiuſdem viſceribus efferuntur. Enimuerò graues longéq; pernicio

niciosissimæ expirationes vicinum aërem inquinant, quando post insignem hominum iumentorumque stragem ipsa cadauerum multitudo in terræ superficie iacet insepultáq; relinquitur. Nec multò dissimilem aëris inficiēdi potestatē efficientiámve habent cloacarū, sentinarum, foricarúmve illuuies, & si qua prætereà sunt ciuitatis alicuius populosæ, aut exercitus numerosi purgamenta. Vis propemodùm eadē teterrimis exhalationibus è cœnosis locis, stercoratis agris, & constratis fimorum aggeribus: ad quæ genera aptè conuenienterque referas sordes ex zytho ac fœtores aceruatim putrentium legumīnū & olerum generis omnis, maximéque brassicæ & erucæ, aliarum quoq; plantarum suapte natura graueolentium: quo ex genere sunt cicuta, apollinaris, buxus, napellus & quotquot aliæ odorem de se tetrum expirant. His natura viribúsque pares numerare placet putrescentes frondes nucis, ficus, sambuci cæterarúmque arborum quę viscido succo turgeant. His ipsis nō minorē, fortè etiā maiorem aëris inquinandi potestatem obtinent graues admodum tetríq; tum lanienarum, salsamentariarum piscariarúmq; tabernarum, tum & coriariarum officinarum intolerandi fœtores. Aëri quoque haud leues offensas inducunt cæmēta putrefacta, ster-

Vapores ex terris in aerem euecti,

quilinia, excremẽtorúmve genera alia in viis plerunq; publicis aggesta. Sic & locustarum aliorúmque id genus animalculorum cadauera propria sui generis vitia inquinamentaque aëri accersunt. Rubetarum verò, bombycum, erucarum, cæterorúmve id genus reptilium etiam viuentium magna vis aërem suo quodam modo corrumpere eúmq; ipsum odore prauo inficere creditur. Cæterùm hæ ac modò recensitæ tetræ exalationes in vniuersum omnes ex earum esse genere censentur quæ ex terræ superficie suscitantur, idque vel hac ratione quòd aut ex ipsius terrę facie, aut ex iis quæ in ea degunt sitáve sunt efferuntur. At ex terræ penetralibus plusquàm Lernæo tincti veneno vapores in aërem aut sponte sua exhalãtes, aut astrorum maximeq; Solis vi eruti, pestem sæpiùs inferunt: qui quidem ex sepulchretis, metallorum fodinis atque cuniculis, antris, specubus, voraginibus aliísve subterraneis locis excitantur. Nec minorem, similẽ propè, aëri noxam atq; perniciẽ inducere credũtur quæ ex retectis frumẽti aceruis altiùs antè sub terra cõclusis attollũtur exhalationes. Aëris labefactatio conspicua multóque grauior quam inuehunt spiritus lethales aut scrobibus emissi aut ipso loci situ hominum generi mortiferi, quales in Sinuessano agro & Puteola

teolano docet esse Plinius, spiracula vocant, alij Charoneas scrobes mortiferum spiritum exhalantes. Porrò eiusmodi aspirationes omnes sæpenumerò terra motibus labefactata & cōquassata, vi interdū minore sursum in aërem efferuntur. Ex Philosophis enim nulli non intelligunt, halitum si confertim multúsque ex terra eruperit, horribilem terroríſque plenum protinus terræ motum efficere, quem dira plerumque subsequatur pestilentia: veluti quam Romani suis in annalibus eadem ex causa accidisse memorant. Ipsáq; adeò haruspicum vanitas non ex haruspicina, arbitror, sed physica potiùs ratione ex ipsis terræ motibus pestilētiā futuram populo Romano prædicere consuêrat, falso, vt dixi, haruspicinę prætextu. Qui verò sensim ac non confertim sed per vices emerserit halitus, is vt terræ motum raròac vix vnquam efficit: ita ferè semper stirpiū genus omne sensim paulatímq; vitiat ac suā ipsis perniciem cōmunicat, maioréq; miraculo animātia etiam abigit fugátque subterranea. Obseruauit autem re vsuq; docta Antiquitas ex eiusmodi è terræ sinibus prorumpente causa quæcunque originem duxêre aëris pestilentias, ferè multos annos perseuerasse ac ciuitates etiamnum totas ita vastasse, vt vastitatem ipsam tādem & vrbium se-

Lib. 2. nat. hist. cap. 93. Gal. cō. 1. epid. & 7. de vsu part. cap. 8. Item com. in Hipp. lib. 2. de na. hu.

queretur euersio: id quod mirũ nemini iure videbitur. Tanta siquidem támque perniciosa vis est ex imo prodeũtis circumfusúmque aërem inquinantis causæ, vt illius effecta vix nisi longinquitate temporis mitescere tollíve posśint. Hac igitur ex causa oriundæ videntur pestilentiæ quas Valerius Maximus triennio continuo, Philostratus annos totos quindecim ciuitatibus grauiter infestas fuisse memorant. Nicephorus pestes quasdam ad triginta, nonnullas ad plures etiam annos continuasse memoriæ prodidit. A cæteris verò causis obortæ contagiones vtplurimùm vel annuæ sunt, vel vna aut altera tantùm anni tempestate grassantur.

Graues aquarum respirationes.

Atque aliis etiam ex causis nimirùm ex aquis influxuũ cœlestium vi auræ graues & cauendæ suscitantur, quibus non leuiter propinquus & circunfusus aër labefactetur. Sunt verò aquæ eiusmodi vitio captando comparatæ, cùm resides & quietæ motu omni atque agitatione priuantur: quales esse è lacu aut paludibus nemo homo non intelligit. Etenim seu leui seu rapido agmine fluentes motúq; nunquam intermisso ventilatæ quàm non facilè putredine tentantur, tam facilè & quæ resides stagnantésque sunt, computrescunt: idque tùm maximè, cum impresśionem ipsam ab externo calore, tanquam putre-

Aristo. 4. Meteor. c. 1.

dinis

dinis opportunissima effectricéque causa suscipiunt. Quandoquidem, vt Arist. placet, peregrinus & externus calor natiuum propriúmque calidum foras pellit, quo quidem velut ex domicilio proprio expulso vel tantùm imminuto principatum occupat: & quemadmodum illud propriam conseruabat stabiliebátq; substantiam, ita & eandem corrumpit hic atque putrefacit quiete motionísque priuatione adiutus. Hoc & ipsius Galeni scitũ est, quo loco putredinis materiam humorem facit, procreatricem verò causam, calorem aduentitium ac præter naturã: ipsam denique putredinem augeri quiete profitetur. Ac corrumpendarum aquarum prẹter modò dictam motus priuationẽ alia insuper causa solet existere, ex asphalti, coriorum, lanarum, cadauerum, stirpium quarundam vt lini, cannabis, aliorúmque quæ stagnis fluentísve diutius macerẽtur, graueolentia. Quin & vitium longè grauissimum perniciéíque præsentis quod ab emortua salamandra aquis accersitur: inauditúmque & incredibile quibusdam videri possit quod ait magna vir autoritate Theophrastus, nimirum fructus earum aquarum humore nutritos aut solùm irrigatos, homines à quibus degustentur interimere. Eodem modo iudicandum aquas præcipuéque resides exitialiter infi-

4. Meteor. cap. 1.

Comm. 3. in 3. epid. part. 1.

An. 53. proble. sec. 1.

Auic. 1. 4. de causa putredinis.

ci,in quibus extincta fuerint aut alioqui putruerint alia quæuis venenata ac monstrosæ malignitatis animãtia.Atq; ita caussas omnes tum superiores, tum etiam inferiores quibus ἐμμέσως aër ex salubri in grauem immutetur inficiatúrve videmur proposuisse.Illarum maior certè vis & efficacitas existit: hæ verò & mitiores sunt & minus habent virium. Nam ex his mali lenta magis est acerbitas, ab iísque ipsis morbi fiunt diuturniores. Veruntamen non dubia res est, has atque illas quò potentiores diuturnioré́sque fuerint, eò facilius pro suis vtrasque viribus solere pestilentiam inuehere.Sin hæ causæ exiguo breuíque temporis momento vel substiterint vel confestim in auras euanuerint, ab iis tam exitiosum malum induci vix est credibile.

Contagii seminariũ extra aerem.

Cæterùm non in ipso tantùm superiore inferioréque aëre(de quo hucusq; tam multis) positum est pestilentiæ seminarium:sed & aëris nulla pernicie importatur ipsum à peregrinis pestifero ex loco aduenientibus quorum ex congressu familiaritatéque expedita sit infectio : itémque & in cadaueribus subsistit aliísque rebus inquinatis νοσερὰν ἀπόκρισιν secum asportantibus. Adhæc veteratoris Diaboli venenis in pinguitudinis aut puluerum formam coaptatis,atque aliis eius

generis. Constat enim quęcunq; pestilentiæ semina in sese admittere, fouere aut aliunde importare idonea sunt corpora, pharmaca inquinatásque vestes ipsam luẽ pestiferam primò ac per se contactu inferre posse, quę tùm per contagium peregrinum cominùs eminúsve inuecta dicatur. Sed quęnam illa sint quæ pestilentiæ seminibus excipiendis atque fouendis opportuna sunt & accommodata, anteà longiore fortasis oratione sed tamen necessaria resq; consentanea prosecuti fuimus.

Ea igitur causa præcipua quam pestilentiæ seminarium esse diximus quacũq; ratione corporibus imprimatur, ex sese víque propria pestem ingenerat quidem, at celerius potentiúsque multò adiuuantium causarum concursu. Sunt autem adiuuantes pestis causæ, quod ipsa notatio nominis significat, quæ solæ nihil efficiunt, sed ad efficiendum adiumenta afferũt. Harum latè patet ratio: pertinet enim tum ad ea quę pestilentiam suapte natura augent atque fouent, tum & ad ea quę aërem, loca, tempestates, corpora ad eam pręparãt. In hoc verò genere eæ plus aliis efficacitatis habent ac, vt verè dicam, τῶν αἰτιῶν ὧν οὐκ ἄνευ rationem obtinent quæ corpora ipsa ad pestilentiam concipiendam pręparant: cùm doctore Galeno, ex patientis corporis analogia atque aptitu-

Cap. 2.

Pestilentiæ adiuuantes causæ.

Li. 1. de diff. feb. cap. 8. & 2. de morb. & sympt.

dine efficientes causę vim potestatémque ex necessitate non minimam accipiant, sitque semper non modò verum, sed & necessarium proportionem quandam inesse corporibus, si externę causę in ea sunt impressionem facturę: vt meritò atque optimo iure sanxerit Aristoteles, actiones eorum quibus vis agendi efficiendíve aliquid inest tùm demum potenter agere, cùm in corpora ad perpetiendum idonea inciderunt. His consentaneum atque consequens adiicere iam tempus est, causas corpora præparantes internas easdémq; antecedentes esse, reliquas verò προκαταρκτικὰς esse & appellari. Ac causas internas si non omnes saltem insigniores aliquas hic delineabimus.

2. de anima.

1. Ex hominum naturis excipiendæ pesti maximè omnium obnoxij sunt, quorum corpora imbecilliora. Eiusmodi sunt quæ ex plethora aut cacochymia aliáve habitus impuritate talia euaserunt. Itémque ea quæ ex intemperantia, victus deprauata ratione, labore coitúve nimio, aut si quo alio modo peccatum est virium imbecillitatem contraxêre tantam, vt pestilenti veneno aut ægriùs obsistere aut nullo modo possint. Atque adeò Arist. rectè, vt alià ferè omnia, scripsisse videtur, eos præ cæteris peste labefactari qui deprauato sunt corporis habitu: contráq; Aphrodisæus,

Causæ pestis præparantes internæ.

Gal. 1. de differen. feb.

Probl. 7. sectio. 1.

Probl. 85. lib. 1.

disæus, eum qui bono est corporis habitu vix aut certè quàm minimum offendi posse, nixus hac ratione, quòd puro firmóque corpori si quid morbi accidat, difficilis non sit ad naturalem statum reditus. Nec eò spectāt hæc vt inficiari velim firma valetudine homines quósque vix aut certè innocentiùs ægrotaturos opinio esset, aliis similiter peste quandoque tentari: sed de iis est nobis sermo quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ euenire consueuêrunt. Quibus ex rebus intelligi datur, nemini mirum videri debere, si pestilenti tempestate quotquot ferè grassantur morbi in ipsissimam pestem ex facili quidem, sed dira tamen conuersione mutentur. Etenim si qui firmissima sunt valetudine pestilentia corripi quandoque cernuntur, cúrnon ij quoque ea tentabuntur afficientúrve qui imbecilles iam ex morbo redditi ipsi malo cedere eíque in sese tanquam viam aperire videntur? 2 Nec insolés illud est, corpora molliora rarioráque seu natura, seu ex thermarum balnearúmve vsu crebriore celeriùs aliis naturis pestilentia corripi, quòd venenata tum materia tum qualitas pluribus ac patentioribus viis per arterias in præcipuum viscus totúmque habitum subeat nec difficilè penetret. 3 In eodem ferè discrimine versantur qui quod inquinamentum illi vndique per arterias totúmque habitum admittunt, crebra inspiratione etiam attrahere nedum admittere co-

Probl. 86. lib. 1.

Gal. in 1. epidem.

guntur: in hoc genere ſunt quibus eſt ex morbo aut exercitio vehementiore, aut immoderato intempeſtiuóque coitu aut alia quauis occaſione crebrior inſpiratio omnino neceſſaria: nam & talis vtero gerentibus ideò accidit, quòd tum ſibi tum etiam fœtui ſpirare cogantur. Tam crebra verò & frequens inſpiratio vt à caloris exuperantia ferè cauſam habet, ita & incaleſcentis cordis eſt non obſcurum indicium: ex quo euenire intelligitur, vt dum refrigerij pabulique deſiderio aërem ad ſeſe cor allicere nititur, ſimul venenatam luem aëri inſperſam ex neceſsitate attrahat & ad ſeſe rapiat. 4 Ea rurſum excipiendo contagio ſunt magis obnoxia corpora, quæ cum iis quos lues peſtilẽs læſerit habuerítve ἀναλογίαν ac veluti συμπαθείαν habent aliquam, vt familię, temperamenti, ætatis, ſexus & humorum. Nam & aliis non rarò, talibus autem ferè ſemper affinitatis ratione contagij vim cõmunicari ſumma conſenſione omnes aſſerunt. Sic & melancholici 5 aliíque natura timidiores quia graſſante peſtilentia audito nonnunquam parentum, amicorum aut etiam promiſcuæ multitudinis interitu peſtilentes morbos perterriti ac tremebundi promtiùs imaginãtur altiúſque animo concipiunt, iis illi ipſi ex facili prehenduntur. Tanta vis eſt tam vehementium imaginum altiúſque animis humanis inſidẽtium cogitationũ, vt plerunque corpora ipſa immutent

mutent ínque ea ſui notam cum pernicie nõ obſcurè inurant. At contrà tutiores à peſte qui ab omni metu ſecuri & ab alia quacunque animi perturbatione vácui vitam hanc degunt. Eam ob rem animi ſecuritas ſi vnquam aliàs, maximè graſſante peſte meritò expetitur, tanquã arcendo morbo non inutilis ac planè neceſſaria. Sed vt ad propoſitũ redeã, temperamento calido humidóque ſeu naturali ſeu aſcititio prædita excrementitióque humore ſcatentia corpora vt omniũ putredinis morbis maximè obnoxia, ita & labi peſtilenti ſunt opportuniſsima. Quæ contrà habẽt corpora peſtem aut rariùs aut certè mitiorem experiri docet apertè Galenus: quo fit vt & ſenes minùs ſint obnoxij iuuenibus, iuuenes item minùs quàm ipſi pueri. In ſumma vt totam hanc diſputationem cum Aphrodiſæo concludamus, quemadmodum ædes antiquæ quæque nec arte extructæ nec benè materiatæ ſunt faciliùs vi impetúque ventorum corruunt, quàm quæ nouæ, firmis fundamentis nixæ recteque ædificatæ ſunt: ſic etiam homines quibus ex fato, vt ipſe loquitur, vita imbecilla ac proinde breuior futura eſt & expeditiùs aëris vitio tentantur & peſtifera cœli conditione grauiùs afficiuntur. Hæc de cauſis internis.

6 *Gal. 1. de diff. febr.*

Plin. nat. hiſt. lib. 7. cap. 50.

Probl. 88. lib. 2.

Porrò in præparantium ad peſtilentiam cauſarum externarum genere cenſentur lo-

Cauſæ peſtẽ præparantes externæ in loci natura poſita.

corum situs ad Austrum, stagnantium resi-
dum aut alia ratione putrentium aquarum
collectio, loca item maritima, cœnosa, ven-
tis salubribus defecta, conclusa nec liberè
satis aëre perflata, graues denique ac tetræ
expirationes vndecunque aëri impertitæ, &
quæcunque alia ipsi aëri vitium inferre an-
teà diximus. Quæ enim illiusmodi sunt po-
situ seu ciuitates solæ seu totæ regiones faci-
liùs pestem concipiunt afficiunturque per-
niciosiùs: vti & loci cœlique vitiata natura
ceu retinente fouenteque causa diuturnio-
rem eam experiuntur. Contrà quæ tum pu-
riore tum clementiore cælo fruuntur suntq;
situ salubriore, censentur malo minùs oppor
tunæ. Nec aliud in causa fuisse putandum,
cur Locrorum & Crotonis ciuitates Plinij
testimonio à peste semper illæsæ fuerint:
quemadmodum & nūc hodieque huius ma-
leficij expertem ferunt oram illam Occiden-
talem quæ fluuium Nigir accolit. Ex natura
illa depromta sunt. Astrologorum verò ob-
seruatio hæc: cùm è sublimi pestilentia du-
cit originem, iis in locis potissimùm grassari
quæ ob maleuolos syderum aspectus antè
memoratos horoscopum suum infortuna-
tum habeant.

Cap. 96. li. 2

Scalig. exercit 32.

1 Ex tempestatibus autem Austrina omniū
maximè pestilentiæ ansam præbere ean-
demque fouere tuerique apud omnes omni-
bus retrò seculis credita est: siquidē, vt præ-
clarè

Causæ ad pestem præparantes in tēpestatibus ipsis positæ.

clarè ab Hipp.ſcriptum eſt, Auſtri flatus perennes hominum corpora remittunt, labefactant, languida, hebetia torpidáve efficiunt: denique modis omnibus vires conuellunt. Eodem propè modo de Euris & Subſolanis iudicandum, qui quanuis origine naturáque vt & cæteri ab exhalatione omnes calidi ſiccique ſint, quia tamen ferè humidas regiones perflant, humorem acquirunt, quem vnà cum caliditate aëri inducunt: & hæ quidem peſtis interdũ, ſemper verò putredinis cauſę ſunt paratiſsimę. Atque vt pluuiam aſsiduiſque & largis imbribus horreſcentem tempeſtatem, ita & à ventis omnino ſilentem peſtilentiæ conſociatam fuiſſe tum alibi tum in Cranone obſeruauit Hippocrates. Ex quo & ipſe Galenus collegiſſe videtur quod erat conſequens: Si annus totus Auſtrinus ſit, calidus & humidus, neceſſariò aut ſuccedere aut comitari magnam grauemque peſtilentiam. Ex anni temporibus autumnus quem Libitinæ quæſtum acerbę cognominat Horatius, cùm lethalibus aliis morbis, tum vel maximè peſtilentibus humana corpora reddit opportuna: tùm enim vaporum plurima moles ex aquis terráque pariter conſurgit, qui ſuapte natura craſsi toti penitúſque cum aëre permiſcentur, vt quos hic propellere & ab iis expedire ſeſe nullo modo poſsit. Contrà æſtate feruidiſsima æſtuãteq; Sole, hyeme item admodum rigida penetrabilíque ſri

Aph. 5. & 17. ſect. 3. & Cel. lib. 2. cap. 1.

2

3

Hipp. aph. 15. ſect. 3.

2. & 3. Epid.

Gal. li. 1. de temp.

4

2. Sermonum

Hipp. aph. 9. ſect. 3.

gore vel gigni vel propagari peſtem inſolẽs quiddam eſt, & quod nec diu nec ſæpe ſit animaduerſum. Tantæ raritatis cauſa eſt & quòd immenſus calor ſuapte natura fomentum peſtilentiæ diſſoluit, diſsipat aut etiam abſumit, & quòd rigidioris hyemis acerrimum frigus idipſum tum cohibere, tum quo minùs quoquoverſum feratur aut vapores non rara peſtilentiæ ſemina eleuentur prohibere conſueuit. Cæterùm vt autumnum ſua natura frigidum ac ſiccum, ita & huic contrariam conſtitutionem calidiorem humidioremque peſtilentiæ ſuſpicionem iniicere ac præſentem etiamnum illam augere in dubio non eſt. Suppeditat enim & materiam & occaſionem haud mediocrem non modò retinendorum teterrimi morbi ſeminum, verumetiam conciliandæ putredinis cùm aliis corporibus, tum vel iis maximè quæ κακόχυμα ſunt. Atque hæc videtur ratio quæ Galenum mouerit, vt aſſereret eiuſmodi temperamentum peſsimum eſſe atque adeò φθαρτικὸν: quorum tamen viri clariſsimi verborum ſenſa haud vniuerſim quidem, ſed ſtrictiùs, meo iudicio, accipẽda, cùm de eo tantùm temperamento in quo παθητικὴ ποιότης dominatur ac ſuos veluti limites actiuæ circunſcribit verum id vſquequaque ſit. Alioqui etenim calidum humidúmque temperamentum naturam hominum non modò non corrumpere, ſed & egregiè conſeruare tum

Gal. 1. de diff. feb.

Lib. 1. temper. cap. 4.

tum vſu periti alij, tum pleriſq; in locis ipſe Galenus exiſtimat.

Ex præparantium cauſarum genere ſunt & hę quas accelerantes meritò dixeris, in aëris rara tenuíque ſubſtãtia poſitę. Qui enim aër peſtilentię ſeminibus eſt vndique circunfuſus ſi tenuior rariórve fuerit, promtiùs in obuia ſibi corpora irrumpit, euenítque vt dum in ea ſibi facit aditum, peſti ipſi viam quaſi ſecet atque prę muniat. Ex quo intelligitur eos errare, decipi ſuóque fine tandem fruſtrari, qui vigente peſte ducti eius arcendæ inani ſpe frequentes quidem, ſed paruos nulliúſque momenti ignes excitant: cùm interim aërem ab eiuſmodi igniculis puriorem reddi verum non ſit, duntaxat autem extenuari ſit longè veriſsimum. Illi noſtræ ſententiæ conſentaneum eſt Auicennæ illud, rariorem eiuſmodi aërem & in corpora peruehi expeditiùs penitiúſque, & velociùs graues ſyderum aſpirationes exorbere, aliiſque id genus inquinamentis celeriùs inquinari. Id autē ſic agunt igniculorũ iſtorum fautores, quaſi diuini Senis imitētur exēplum, ſed minus rectè. Hipp. enim ipſum ſi quis roget quid ſpectarit, dum ſyluæ etiam totæ ſuo iuſſu cõflagrarent: nihil aliud, ſcio, ſibi propoſitum fuiſſe reſpõderit, quàm vt peſtem non abigeret, quæ Athenis nulla erat, ſed ab Aethiopia arceret imminentem, non neſcius fore vt luculentis iſtis ignibus támque lon-

Cauſæ præparantes aerem ad concipienda peſtilentiæ ſemina.

Lib. 1. cap. de tēpeſt. varietate.

gè lateque patentibus deflagrationibus non modò tenuitas accerſeretur aëri, ſed & quibus vndique circunfundebatur peſtilentiæ ſemina penitùs totáque diſsiparentur, diſſoluerentur, diſcuterentur. Præter illam aëris tenuitatem, calorem etiam ipſum ad concipienda contagij ſemina paratiorem aërem efficere viderunt maiores noſtri: nominatim verò Zoar, quo loco ait, aërem calidum alio quouis promtiorem eſſe ad ſuſcipiendam putredinem: & reuera calore ferè adiutari cauſarum abditarum effecta vel illud indicat, quòd ſuccinum non niſi affrictu aut ratione alia calfactum validiùs ſibi paleas & aceres applicat.

Cap. 4. iuxta finem.

Auic. lib. 4. de virib. cordis cap. de hyacintho

Cauſæ peſtilentiam augentes conſeruantéſve.

Quoniam autem cauſarum quæ συναίτια dicuntur genera duo antè conſtituimus, vnũ præparantium, alterum augentium aut certè conſeruantium, de priore hæc ſatis: ad poſterius genus ſeſe noſtra conuertet oratio. Igitur augentes conſeruantéſque cauſas eas dicimus, quæ vt peſtilentiam iam genitam fouere, augere & exacuere poſſunt, ita & eandem per ſe ſuapteque natura excitare non poſſunt. Huiuſmodi eſt epidemia quæuis conſtitutio, & quæ ex aëris intemperie orta eſt, & quę ex vehementibus temporum tempeſtatúmque mutationibus. Hæc enim ad peſtilentiam quoties accedit, quadam generis propinquitate illam iuuat illiúſque adauget impetus. Ita & cernitur ferè peſtilentia

grauior

grauior in regione putridis expirationibus infecta, quàm ſicca & pura: autumno, quàm æſtate: æſtate, quàm hyeme: auſtrina tempeſtate, quàm aquilonia: inæquali ac nubilo cœlo, quàm ſereno, æquali & tranquillo. Itemque in luminarium maiorum (Solis inquam ac Lunæ) oppoſitione, vt & ſeneſcente iam aut penitus ſilente Luna ſæuiùs affligere peſtem & à pleriſque olim vbique, & à nobis hîc Geneuæ annis ſuperioribus animaduerſum eſt. Nec verò mitior eſt, ſi Aſtrologorũ diutinæ obſeruationi credimus, quo tempore Luna ſub planetis maleuolis ac præſertim eorum ipſorũ quadrato permeat. A iudicio autem Aſtrologico alienum non eſt & phyſicum illud, circa ſolſtitia æquinoctiáque peſtilenti cælo peſtem furere magíſque ac magis ingraueſcere. Sunt & alia pleraque multa quæ peſtem augere non obſcurè videantur: loca concluſa minimeque aëri peruia, infecti panni & ſi qua intereà ſunt quæ peſtis ſeminarium retinere tueríque & ipſam interdum peſtem gignere ſoleant.

Sed quoniam ex commemoratis peſtilentiæ cauſis quaſdam præcipuas fecimus, alias duntaxat adiuuantes: iam adiiciendum videtur, præcipuas quidem per ſe peſtem inuehere poſſe, ſed eam ſimplicẽ: compoſitam verò fieri, accedẽtibus cauſis iis quæ putredinem aut febrem excitare, aut ad harum vtramuis leuem facilémve occaſionem præ-

bere consuêrunt. Errãt autem, iudicio meo, vehementer si qui ex antè memoratis corporum, tempestatum locorúmque vitiis etiam solitariis ingenerari pestem existimant. Non equidẽ adimo quod Galenus illis concedere videtur, ex cacochymia interdum oriri pestilentem febrem: ait enim author bonus: *Quotquot vitiosis cibariis famem solari coacti fuere, putridis eos ac pestilentibus febribus magnam partem interiisse.* Sed quid hoc ad febres quæ verè propriéque pestilentes sunt appellatæ? Non deerunt, arbitror, qui (si ratio non suppetat) saltem authoritate alia sint nobiscum pugnaturi. Asserit ibidem Galenus, inquient illi, pestem causam habere quandoque humores in vasis ac visceribus conditos & ad putredinem paratos. Difficile est de toto genere confirmare: sed tamen est certum quid respondeam. Equidem pestilentem febrem interdum ab humoribus intùs in corpore delitescentibus & ad putredinem paratis procreari posse non ignoro: at ex parte id quidẽ, nõ omnino. Nã vt procreetur pestilentia, necesse est (quod & Gal. eodẽ loci apertè innuit) seminarium ipsum perpetuò accedere, causam certè aliam, sed eam præcipuam lõgéque grauissimam. Nec enim seminarium quo de loquimur aliud est, quàm aëris corruptela hominum generi exitialis atque mortifera. Austrinæ itidem constitutioni ad pestem gignendam parua

Absq; principali pestilentiæ causa pestem gigni nullo modo posse.

1. de diff. feb.

Gal. in lib. de ther. ad Pamph.

vis est & efficacitas: siquidem vt epidemios morbos ea inuehere potest, ita & pestilentiam sola non potest: licet Hipp. summo vir ingenio locis aliquot hanc vnam pestilentiæ causam esse significare videatur. Sed eius diuinæ mentis sensa si qui penitiùs scrutentur, Austris quidem assiduis pestem augeri, exacui, excandescere: haud tamen solis ipsis procreari posse interpretabuntur.

Atque vt hunc locum de pestilentiæ causis adiuuantibus tandem aliquando concludamus, illarum tum internarum earundémque antecedentium, tum etiam προκαταρκτικῶν si non omnium saltem aliquarum concursione fieri in aperto est, vt aëri si quod circunfusum est pestilentiæ seminarium, in hominum corpora citiùs validiúsque transmittatur. Id verò humani corporis exceptum impressúmve penetralibus proximæ continentísque causæ nomen rationemque subit, vt quod externarum causarum exclusum numero in corpus ipsum iam transierit atque commigrauerit. Illud si incomitatum fuerit nec in consensum corporis spiritus humorésve pertraxerit, pestem quidem inuehet, at eam simplicem. Compositam verò ex peste simplicíque febre, si vnà spiritus aut etiam humores absque putredine exarserint. Sin his putredo accesserit, tum illi congenerem ex putrescente humore febrem cum peste coniunctam excitabit. Bubonem autem pe-

Continentes affectuum pestilentium causæ.

ſtilentem interdū cum febre, abſque hac nō nunquā, quoties qui putreſcit humor, nēpe ſanguis aliàs crudior, aliàs magnā partē elaboratus vi partium principum protruſus in emiſſaria decumbit. Qui verò ſanguis concoctionis metas trāſilierit ſitque craſſus atque retorridus adeò vt in atræ bilis naturam degeneret, ſeroſi tamen atque tenuis humoris ſit vtcunque particeps, abſque diſcrimine modò hac modò illa corporis extima parte periculi plenum carbunculū de ſe promit. Antedictis mitiora ἐκθύματα ſeroſiore aut pituitoſiore ſimul & bilioſiore ex ſanguine erumpere toto ferè corpore ſolita ſunt. Στίγματα verò ſeu pūcticula bilioſioris ſeu ſanguinis ſeu vaporis in ſummā corporis cutem diffuſi ſoboles exiſtunt. Sed de peſtis tum ſimplicis tum compoſitę vniuerſa materia ſatis ſupérq;: vnum id modò adiecerimus, hanc ipſam ſolitariam aliàs incomitatámque, aliàs comitatam conſpici, idque modò tumoris ſymptomatíſve vno genere, modò pluribus: cuius quidem varietatis in cauſa ſit aut aëris maius minúſve inquinamentum, aut virium robur infirmitáſve, aut etiam ſingularis alicuius humoris pluriúmve putredo.

Aeris & morborum peſtilentium ſigna. Cap. V.

Quoniam

QVoniam ex pestilentium morborum genere complures, eorúmque causæ intus latēt intróque conduntur, adeò vt neque cerni neq; sensu vllo percipi possint, consequens est de signis atque symptomatis (quibus solis tanquam indiciis intelliguntur) nobis dicēdum sit: si priùs tamen quæ pestilentem aërem tum imminentem, tum etiam præsentem indicāt commonstrâuerimus. Est porrò signum ipsum genere duplex: ἄτεχνον καὶ ἔντεχνον. Atque vt causę cuique sua signa respondeāt, primum idémque multò grauissimum cùm flagellorum aliorum, quæ innumera sunt, tum vel maximè pestis futuræ ac propè imminentis signum ἄτεχνον censendum est, detestanda humani generis impietas ad summum deducta fastigiū & creaturæ nobilissimæ à suo Creatore alienatio defectióve tanta, vt Diuinus cultus & humana officia omnia contemnantur, Christianæ charitatis vinculum, quod arctissimum esse oportuit, omnino dissoluatur: hominum deniq; totū genus ex fraude, mendacio nequitiáque conflatum esse videatur. Tunc enim cuínam in dubio esse possit haud leue manere nos iræ diuinæ testimonium? Præclarè profectò non minùs quàm verè Poëta, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Sed longè grauius ac fide magis dignum illud Apostoli testimonium: πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν.

Pestilentiæ signum ἄτεχνον.

Anth. ad Heb. c. 2. ver. 2.

Esto verò complures alij sint scelerum facinorosorúmque hominum acerrimi vindices & tanquam ἀλάστορες, quo in numero & ea sunt de quib9 antè diximus, pestilentiam attamen velut ab Iustissimo impietatis vltore frequenter immitti solitā nec postremum inter dura alia flagella locum obtinentem cúr non vel solitariam vel fame aut bello comitatam expectemus, corruptis adeò moribus vt miseri mortales non modò ad flagitiorum genus omne nihil sibi reliqui fecisse, sed & palā Deo sese opponere ac propè Gigantum more cum eo bellare velle videantur?

Signa pestis ἔντεχνα.

Cætera futuræ pestis indicia ἔντεχνα ea quidē ac physica planè sunt, aut ex Astrologia petita: nā horū alia è sublimi, cœlestibus inquam locis vel aëre, alia infernè suam originem duxerunt. Hæc ipsa verò partim aura graui è stagno aut alioqui residibus aquis, partim ex terris harúmq; aliàs è facie, aliàs ex penetralibus ipsissimísque visceribus desumta sese patefaciunt. Proximam verò iamiámque hominum capitibus cœlitùs impendentem pestilentiam præmonstrant Coniunctiones Saturni quidem & Iouis in signis aëreis: eiusdem verò Saturni ac Martis Sole aut Luna eadē signa percurrente ac nominatim maximéque Librā aut Aquarium, interdum & alia, Virginē nimirum, Geminos atque Scorpium. Huc pertinent Solis ac

Cœlitus petita imminētis pestilentiæ signa.

Lunæ

Lunæ defectiones maleficæ, cuiuſmodi ab Aſtrologis cenſentur quæ in octauam cœli domum incidunt: eorundem maiorum luminum color inſolens, languidus ac planè fœdus. Huius ſunt rationis harúmque viriū ſyderum aſtrorúmve poſitus varij, motus, concurſus, ortus, occaſus, affectiones atque cōmixtiones, vagarum item errantiúmve ſtellarum aſpectus maligni, cæteráque id genus plurima nō omnino incerta impēdentiū humano generi malorū maximeq; peſtilentiæ ſigna ſimul & cauſæ, vti tū ab Aſtrologis tū ab vſu peritis aliis diligenter obſeruatū eſt.

In aëris ſignis proximā nec ita multò poſt venturam peſtem præſagiunt malefica ventorum exhalatio è graui ac peſtilente loco ſpirantium & vaporum copia partim tenuium & occultorum, partim craſſorum & aſpectabilium æſtate nonnunquam, ſæpiùs ſub ipſum initium autumni, calentem adhuc aërē tanta caligine obtenebrantium, vix vt per medium ipſum ſolares radij penetrare poſſint, vix ſit qui oculos attollere nedum ſuſpicere audeat, ex impuro ignauóque tepôre corpora mollia & ad præſtandū officium ineptiora reddantur, adſit denique mœror triſtitiáve cuius cauſa penitùs ignoretur: ſcilicet per eum aërē craſsiores hebetioréſque redditi ſpiritus talia támque varia ſymptomata inducunt. Huiuſmodi quoque vaporum indicio non obſcuro ſunt hæc: cir

In aere ipſo conſpicua imminentis peſtilentiæ ſigna.

Ariſt. 1. probl. 21.

Hipp. & Gal. in 3. epid.

ca Solem & Lunam nebulæ velut inſperſo puluere dĕſiores quæ luminibus obſtruant: circa Solem orientē vel occiduū ſpectrum varium, rubrum interdum, aliàs nigrum aut luteum: Sol in ipſo ſtatim exortu pallens aut caligine circunfuſus: denique aër vniuerſus craſſus, denſus, nubilus, turbidus ac etiamnū puluerulentus minimeque pluuius aliquantiſper perſeuerans, pluuiam licet in dies horáſve minari videatur. Adhæc cœli grauitas inſolens, plantarum folia ac frondes veluti puluere conſperſæ. Atque huius quidem euentus ratio non dubia & conſpicua cauſa eſt: vaporum enim craſſior ac terrena magis portio in plantarum folia præ grauitate delapſa ac vi caloris ſiccior reddita, hæc ipſa oculis humanis puluere vndique obſita repræſentat. Quin & μετέωρα ignita crebráque in aëre φαινόμενα maximè que autūni conſpecta tempore haud incertum futuræ calamitatis iudicium faciunt: quia enim exhalatione ex inferioribus vi aſtrorum attracta fiunt, euenit vt originis ſuæ non minimam ſignificationem illa præ ſe ferāt. Huius naturę ſunt Cometę omnes, quos ideò Claudianus nunquam impunè ſpectatos cognominat: ij verò maximè qui ad Orientem vergunt, aut alioqui cœli maligna ſede poſiti vel cum ſtella inerrāte maleuolâque coniuncti, aut denique infauſti planetæ præcipueque Martis influxū ſecuti ſunt.

Auic. fen. 1. l. 4. tr. 4. cap. 3.

lib. de bello Getico.

ſunt. Magnarum quoque calamitatum atque adeò ipſius mali quo de agimus prænuntiæ ſolēt eſſe faces ac ſtipulę ardentes, ignes in aëre volitantes, ſtellæ cadentes earúmque traiectiones, hiatus, ardores & id genus alia aëri impreſſa nō niſi noctu conſpicua, quorum ferè omnium materia ex terra ſuſcitatus halitus eſt exhalatióve. Ea verò maligna copioſaque cū fuerit, nec adeò penitus totáque igni cōſumi queat, ſuapte natura circūfuſum aerē inquinat. Quòd ſi arbores ipſę conflagrare inflāmaríque videantur, præſentius id fuerit metuendúmque magis venturę perniciei pręſagium, quia nō ſublimem tantùm ſed eum etiam qui nobis circunfunditur aërem infeſtari ſignificant. Et hæc quidem ſingula ſi diutiùs perdurent, aëris labe factati tum cauſæ tum ſigna perhibentur. Ex anni quoque conſtitutionibus temporúmque ac tempeſtatum mutationibus peſtem præſignificant quæcunque iuſtò calidiores humidioréſque ſunt, & in quibus modò calor modò frigus eſt, hyems auſtralis ac pluuioſa, ver itidem pluuium, ſubfrigidum & auſtrinum: æſtas ſuam, hoc eſt, calidam ſiccámque temperiē minimè ſeruans, vel quæ feruore & quodam veluti caumate grauis moleſtáq; ſit: hęc enim cū adeſt, putredo corporib9 nunquā nō accerſitur, multóque magis ſi fuerit inſuper æſtas eiuſmodi à ventis omníque aura ſilens: contrà ſiqui

Hipp.3. Epidem.

Hipp.1. & 4. aph. ſect. 3.

Hipp.8. aph ſect.3.

dem quouis flatu vehementi ac tempeſtate valida ſpes eſt perpugari aëra, neque inquinamenti ingenerandi metus eſt. Porrò venti Meridionales & ab Occiduâ plaga autũno frequentes vt & quotquot è peſtilenti regione ſpirant, peſtem etiam tum cauſantur tum prænuntiant: omnium verò maximè Auſter abſque pluuiis diu perſeuerans etiam alia quauis anni tempeſtate, vt qui calidi humidíque exuperantia omnia corrũpat, velut è diuerſo calorem æſtúmque temperat qui pluuioſus eſt. De peſtilentiæ indicijs ex aëre hactenus.

Infernè petita futuræ peſtilentiæ ſigna.

Quæ verò infernè atque ex terra petuntur pleraque multa, nominatim quæ tum ſignorum tum cauſarum rationem obtinẽt, antè in cauſis recenſita ſunt: quo in numero fuêre inſepulta cadauera, grauis ac teter odor ex retectis ſepulchris, è ſordibus ſtratis humi grauis aura, terræmotus crebri ſempérque terrifici: nã & hi vaporum in aëre malignorum multipliciúmque in cauſa eſſe conſueuêrunt. Illis adde putreſcentẽ in terræ viſceribus materiam quamuis, quæ certè quidem haud obſcurè atque ex facili ſeſe prodit indiciis hiſce: ſi fungorum, germinum herbarúmque graueolentiũ eſt copia: ſi quę recens pullulare cœperãt herbæ haud quaquam aſſurgunt nec in iuſtam altitudinem proſiliunt, ſed exiles ſemperque minutulæ priùs aut marceſcunt aut omnino putreſcunt

trescunt quàm adolescant, tantum abest vt ad frugem vnquam perueniant. Quòd si harum fortè nonnullæ maturescunt (quod tùm rarum est & insolens) eæ tamen nec coloris nec odoris gratiam, nec saporis proprięque substantiæ suauitatem retinent, proprio nimirùm & accommodato alimento defectæ. In pestilentiæ indiciis locum etiam habet exorta derepentè post æstiuas pluuias ranarum in tergo coloris ferè cinerei, ventre verò toto lutearũ quas à figura simili φρυνοειδεῖς, aut etiã διοπετεῖς quasi cœlitùs demissas nominãt, nusquam non in viis passim subsultans numerosa multitudo. Iam dictis par omninóque simillima ex paludibus, camarinis stagnísve putrentibus aura grauis pestẽ in metu esse significat. Aquis verò iam accersitæ putredinis indicia nulli non conspicua: viror ipsius aquæ lurido colore perfusus, graueolẽtia, sapor ingratus ac fœdus etiam, in superficie pinguitudo telæ araneorum tenuísve membranæ speciem referens. His non minores indicandi vires obtinent vluæ, musci aliorúmque id genus prouentus, vermium, ranarum, buffonũ atque materiæ putris vniuersa soboles: aqua item quàm pro suæ naturæ ratione crassior minúsque frigida, imò verò ferè tepens. Eiusdem est præsagij ac fortè valentioris ex aurium sensu petitũ indicium: aqua enim quæ putredinem experta est, nõ minùs quàm vi-

na fugiẽtia aut prę putredine turbata ac velut emortua si elutriẽtur instar olei aut eius crassamenti materiæ cuiusuis exili nec strepente sono delabuntur. Hæc omnia extra hominem: sed iis non minùs fidè presagiunt quæ corpora hominum affligunt, nec pueros modò, verumetiam adultos ac ætate florentes. Ea verò sunt tũ ἐξανθήματα tum etiam ἐκθύματα, vt quæ quemadmodum venenatæ materiæ nonnihil in se habent, ita & pestilentiã antecedere, aut (quod rarũ non est) comitari consueuerint. Nec tamen ex hisce sigillatim omnibus, sed compluriũ simul cõcursione anni grauis, calamitosi ac pestilentia infamis metus est multis retrò seculis suis euentis & stabilitus & confirmatus.

Iam genitæ aut quàm proximè impendentis pestilentiæ signa.

At verò in regione ciuitatéve aliqua aut iam grassantis, aut in morem cominùs pugnantis hostis perniciẽ derepentè allaturæ pestilentię pręter antè commemorata signa alię quoque insignes notæ, quas itidem partim è sublimi, partim infernè depromtas à viris eruditis est obseruatum. Supernè quidem atque è cœlo non aliun de hominum ceruicibus imminere pestilentiam non temporum tempestatúmve mutatione nec manifesta qualitate, sed solo deprehẽdas euentu: fit enim haud raró, grassetur vt pestis aëre interim siccissimo serenissimóque, quæ res indicio est cœlum sola syderum permistione

ſtione abſque inferiore cauſa malum id afflare mortalibus. Tùm porrò ex auium genere grandiores rarò, auiculæ ferè ſemper partim mortuæ humi ſtratæ iacent, partim nidos, oua chariſſimóſque fœtus (quos alioqui tutari ſoleāt) deſerunt, idq́ue ea cauſa vt & quam primæ omniũ experiuntur impreſſam aëri perniciẽ declinent & impoſterùm vitæ ſalutíque ſuæ conſulant. Eiuſdem periculi cauendi gratia in montium iugis ac locis editioribus aliis vitã præ cæteris degere ſolitæ animantes in valles, campos & ſi qua prĕtereà ſunt humiliora loca commigrant. Quoties verò ex terræ facie graues exhalationes aëre vitiato peſtem inuexerint, deterior quadrupedum conditio, vt quibus loci ſediumq́ue mutandarum poteſtas ea nõ ſit. Hinc fit vt armenta, ſues, pecudum & quadrupedum genus omne (quoniam proniora terriſq́ue propiora gerũt capita) ferè omniũ prima diri aëris flatus circa ipſam humum excipiant, tũq́ue aut ſpecierum aliquarũ aut plurium, interdum omnium magna clades antecedat. Contrà inſectorum, ranarum prĕcipueq́ue earum quibus cauda eſt, σκιγκοειδεῖς nonnulli nominant, vermium, muſcarum, pulicum, cimicum, araneorum, papilionum, murium, limacum, blattarum, locuſtarum, erucarum, reptilium atque id genus inſectorum quorum ortus eſt ex corruptione atque putredine numeroſa & inſolens

Aet. tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 95.

Annæus Seneca.

visitur multitudo: nec tamen omnium natura eadem: alia enim natalibus solóque suo gaudent, alia naturæ instinctu infernè percepta corruptione arbores scandunt iísque erodendis vitam sustentant. At cùm ex terræ sinibus erumpēs exhalatio auráve grauis aërem inquinauit, malum vti caueant quotquot intra terram delitescunt animantia, latibula, cellulas, cubilia refugiunt indéque errabunda prosiliunt: eo in numero sunt talpę, serpentes, lacerti, stelliones, glires ac murium omne genus. Corruptione autem in aërem ab aquis exhalante putrentibus, buffonum copia visitur, pisciculi aut ranæ extinctæ vel exanimes aquis innatare, culices etiamnum veluti supernatare cōspiciuntur. Quacunque tandem è mundi parte ambientis aëris orta corruptio regionem aliquā occupet, ex hac qui lædūtur paucissimi in spe sunt, tolluntur multi, sic vt magnus hominū numerus in dies horásque vita cedat. Sunt & aliis ex rebus indicia alia multò certissima: panis dio aërive nocturno expositus mucescit etsi ocyùs aliàs, aliàs seriùs: oua item & carnes ferè quæuis intra diei vnius spatium corruptionem aliis aliæ maiorem minorémve experiuntur, prægnantes ceu viribus defectæ vel leuissima ex occasione abortiūt, ædium parietes velut impuro humore scaturientes illachrymant ac situm contrahunt, humescunt denique tum lecti tum

& ipsa

& ipsa lintea. Splendori Solis eximio crebra repentináque mutatione turbidior aura succedit, canes hac quàm alia vlla constitutione faciliùs in rabiem aguntur. Aiunt & in omphacitide galla quæ pertusa non sit vermiculum aut araneũ inueniri. Rosarum denique vt & violarum denuò sub ipsum autumnum exorti flores aëris inquinati significationem præ se ferunt, sed hoc ipsum tamen leuius & perpetuum non est. Ex antedictis verò complura pauciorave crebrò ac paßim obseruata cùm persistunt increscúntve, tùm in dubio non est ambientem venenata lue infectum esse vulgo etiam persuasa sententia.

Pestilētia è sublimi & inferioribus ex causis profecta discrimen.

Interest autem non parùm vtrum è sublimi pestis proficiscatur, an ex terra & inferioribus aliis causis. Illa enim ferè vniuersa solet esse, & vel orbem totũ vel huius non minimam partem inuadere: hæc verò arctioribus contenta limitibus aut vicum aut ciuitatem vnam peruagata longiùs non excurrit. Nec id mirum: superna siquidem causa inferiore tantò potentior nunquam non existit, quantò quod influit validius eo solet esse quod influxũ recipit. Rursum & illa priore tã qui in re lauta sunt, quàm qui in tenui ex æquo corripiũtur, periculi sorte planè ad omnes æquabili: posteriori magis obnoxia inopia atque paupertas, q inopis plebeculę vires tenues sunt adeò & infirmæ vt pote-

ſtas nõ ſit è locis grauibus ac peſte obſeſsis in ſalubres & ab omni periculo tutos emigrandi, atque adeò in omnis generis ſordibus fœdáque ſpurcitie iaceat, cibíſque ac potibus idoneis omníque munditia defecta vitam miſerè tranſigat. Atque, vt populo ſuo rebelli Deum iratum omittam, iiſdẽ ex cauſis (infernis inquàm) excitatam hîc Geneuæ peſtem & à ſanis mentibus creditum & veriſsimum eſt. Declarauit id triennio (quo nõ perpetuo quidem, ſed ex interuallis graſſata eſt peſtilentia) ſeruitiorum ac reliquę plebeculæ victus corruptela ſitúque afflictæ clades & interitus, eorúmque maximè qui ſordidiſsimarum ciuitatis partium erãt accolæ. Lautiorum verò (vt quorum conditio ab iiſdem iniuriis in tuto foret) quàm pauciſsimi ſublati, víxque vlli niſi qui fortè ex conſuetudine, congreſſu atque colloquio cum inquinatis contagiũ contraxêre. Quòd ſi quis diabolici veneficij nonnihil, imò etiam plurimum admiſtum fuiſſe cõtendat, nihil equidem repugnauero: maximè cùm in ipſo veneficio deprehẽſarum maleficarum mulierum complurium confeſsiones plurimæ partim voluntarię, partim extortæ vi tum aliàs, tum vel hoc ipſo anno CIƆ. IƆ. LXXI. id ita palàm fecerint, vt peſtem eam vt plurimùm artificioſam, atque humana planeque diabolica fraude potiùs quàm intẽperie cæli conceptam fuiſſe vix quiſquam ampliùs

dubitare

dubitare poſsit. Nam ſi cui genus id maleficij ita nouum ac inauditum videatur, vt quæ vulgò narrantur fabulæ potiùs quàm prodigij loco habenda putet, Romanorum annalium multò certiſsimorum memoriam replicet. Tùm haud dubiè comperiet is iam olim M. Claudio Marcello, & C. Valerio Coſſ. indicatam patefactámque diutinæ peſtis publicæ cauſam complurium matronarum verè Diaboli mancipiorum deprehenſo veneficio: ex quibus ad CLXX. damnatæ, plurimæ ſtatim epotis medicaminibus ſuametipſæ fraude perierunt.

Liu. Dec. 1. lib. 8.

Sed iam tempus eſt vt ad peſtilentiũ morborum demonſtratiua ſigna priùs quidem communia, dein & vniuſcuiuſque propria tranſeamus, eáq; omnia in vniuerſum, quantum in nobis ſitum erit, percenſeamus. Etenim cùm multiplici varia & fallaci ſymptomatum ratione nulladum comperiantur ſigna peſtis παθογνωμονικὰ atq; διαγνωστικά, quibus aut præſentibus peſtẽ adeſſe, aut abſentibus & eam ipſam abeſſe deprehendi poſsit, non niſi ex ſignorum coarceuatione atque συνδρομῇ eorúmque inter ſeſe collatione de peſte iudicium certò ſatis ferri poſſe coniectura eſt: quò minùs miror in ea iudicanda tam multas, tam varias atque inter ſe diſcrepantes Medicorum ſententias. Cõmune eſt autem peſtilentium morborum omnium & quod ab iis ſeiungi non poteſt,

Peſtilẽtium morborũ demonſtratiua ſigna communia.

præſentémque mali ſtatũ ſignificat, ſumma derepentè & ex inſperato occupans virium omnium deiectio ſeu proſtratio potiùs, imprimis maximeque vitalium, dein cum ipſis conſenſione quadámque conſecutione tum animalium tum etiam naturaliũ: ac ea quidem nulla quæ manifeſta ſit præcedẽte cauſa, non euacuatione inſigni, non vigiliis diuturnis, non inedia alióve quo vires labefactari frangíque ſoleant. Porrò vitæ facultatum malo cedentiũ proſtratarúmve omnino, vt & caloris natiui (cuius in corde tanquam vitæ principio ſedes & origo eſt) quæ neminem fefellerunt vnquam indicia ſunt, frequens animi defectio, λειποθυμίαν Græci vocant, ac interdum hac grauior ſyncope, reſpiratio parua difficilis crebra: pulſus item vtplurimùm paruus, obſcurus, languidus, frequens, celer omninóque inæqualis: aliàs etiam, quod quis iure miretur, moderatus. Tametſi enim ventilationis eſt neceſſitas, accidit tamen haud raro vi morbi facultatem ſimul adeò imbecillam eſſe, vt arteriæ iuſtam diſtractionẽ efficere nequeat, atque adeò contrariis ex cauſis pulſum immutantibus moderati motus ex neceſsitate conſurgant. Vires autem quæ & animaliũ omnium communes, & tum interioris & externi ſenſus tum etiam motus opifices exiſtũt, deiectas teſtantur hæc: dolor ferè nullus aut huius certè tam exigua perceptio vt ęger laborare

Gal. lib. 3. de præſag. ex pulſ.

borare se non sentiat, molestæ perennésque vigiliæ cum frequenti & irrequieta corporis iactatione: quibusdam contrà in somnum admiranda & inexpugnabilis propensio atque procliuitas. Facit nimirùm temperamenti ac peste laborantium constitutionis varietas vt alij vigiliis conficiantur, alij grauiore profundioreque somno consopiti nō nisi ægriùs expergiscantur. His addere placet quæ vtplurimùm principi facultati superueniunt deliria aliáque perturbatæ motæve mentis indicia. Postremas omnium ventriculi, iecoris aliorúmque prætereà nutritionis instrumentorum facultates quas naturales vocant læsas suis hisce & propriis indiciis intelligere datur: nausea quæ est ad vomitum irrita concitatio cum cibi potionísque fastidio, vomitione crebra molestáque nec cibum nec potum quo recreetur cor sustinēte, vrinæ retentione, alui profluuio pinguitudinis cùm leuius est, solidæ etiamnum substātiæ cùm grauius fusione cōsociato, Galenus συντηκτικὸν nominat, cibi quantumuis tenuis materię fastidio. Sed hæc indicia omnium huius generis morborum communia, quibus adderem nulla causæ quæ conspicua sit antecessione prorumpentem modò statis sedibus bubonem, modò quibuscunque partibus nullo interposito discrimine carbūculum, σίγματα aliàs, aliàs ἐκθύματα. Sed perpetuum id non est: ferè

Hipp. aph. 6. sect. 2. Cels. lib. 2. cap. 7.

Gal. 1. in 3. epid. com. 13.

ſiquidē in peſte ſimplici tumores nuſquam vlli, nullę itidem vſquam maculę comparēt, deliteſcente intùs venenata materia nec caloris (imbecillioris nimirùm) conatu foràs propulſa. Inter peſtis indicia locus eſt etiā contagioni, nec minùs aëris præſenti conditioni, cùm tempore ac loco eodem plurimi corripiuntur, tolluntur non pauci. Atque vt demus quod negare nō poſſumus eſtq́ue multò veriſsimum, cōmemorata antè ſymptomata cum pleriſque aliis morbis eſſe cōmunia, in his tamen quibus de ſermo nobis eſt affectibus quàm in cæteris omnibus longè ſæuiora ſunt, maximeq́ue horrenda conſpiciuntur.

Ex Ruffo Paulus l. 2. cap. 36. & Aetius lib. 5. cap. 96.

Peſtis ſimplicis propria ſigna.

Gal. 9. ſimp. cap. de terra ſamia.

Porrò peſtis quæ ſolitaria ſimplexq́ue ſit indicio ſolet eſſe mitis & exiguus præter naturā calor, βληχρὸς Hipp. dictus, iſq; æquabilis planè ſuíque perpetuò ſimilis. Huius non dubia cauſa, in obſeſsi cordis (qui fons eſt innati caloris) imbecillitate. Nam quum vires deſunt, euenit vt facultas quę ſanis per venas & arterias nunquam non influebat, neceſſariò intercepta propriam vehementiā non præſtet. Vrinæ neque crudæ, neque turbatæ: ſed colore, ſubſtantia ſedimētóque laudabiles, & vel ſanis ſimillimæ, vel ab his propriáque natura parùm aut nihil immutatæ. Nec tamen verùm eſt quod à quibuſdam dicitur, conſilio ac ratione corporeæ naturæ falſò tributa. Id enim illi ita eſſe volunt

Concil. diff. 95.

Gentil.

Petrus Bayrus tr. de peſte.

ſunt, quia materiam deleteriam planeque pernicioſam natura ſibi metuẽs aggredi nõ audeat. At rectiùs naturam vano iſto metu leuantes alij ab ipſa natura depromtas cauſas ſtatuunt alias, aiúntque euenire quod dictum eſt, aut imbecilla adeò natura vt excremẽta ad vias vrinæ propellere nequeat, aut naturali facultate vel nondum oblæſa, vel certè quidem vitali multò leuiùs, adeò vt in vaſis humorum putredo nulla vel minima ſit: ſimile quiddam ei quod eſt in febre hectica ferè perpetuum, vt in qua vix etiã vrinæ à natura alienæ conſpiciantur, ægro moribũdo interim atq; animã agente: aut denique (quod vero propius eſt) quia venenũ ex toto neglectis partibus naturalibus cor vnicum vitæ fontem obſideat impetátque. Inſuper ſunt & ſimplicis huiuſce peſtis notæ aliæ, ſitis non modò non vehemens, ſed & propè nulla, appetentia adeò non proſtrata vt ne cibi quidẽ faſtidium eſſe videatur, pulſus vel exilis nec vehemens, frequens & celer, vel (quod ferè fit) dum certa compertáque vi nondum fecit venenum in cor impreſsionem) moderatus, & adeò vt ægri laborare ſe non exiſtimẽt ac nihilominus extinctis viribus inopinatò è vita decedant, & id quidem nullo ſenſu doloris: tum quia plerunque τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει. (ſic enim loquitur Hipp.) tum quia quanuis affectio ipſa primariò in ſubſtantia cordis inhæreſcat,

Gal. 3. de præſag. ex pulſ. cap. 3. Aph. 6. ſec. 2. & Cel. cap. 7. l. 2.

oſsibus tamen imis & ipſa latet, ac in omnes etiã alias penitiſsimas ſimul & extimas corporis partes ex ęquo diffunditur: doloris verò ſenſum non eſſe niſi quum inæqualis eſt commutatio, rectè ſentientium Phyſicorum theorema eſt tam verum quàm quod veriſſimum. Nec loco nullo ſunt habenda ab alui excrementis indicia: horũ enim quæ ſubſtantia & colore ouorum dilutorum ſimilia odore planè fœtida pinguiáque ſunt, qualia συντήξεως indicia eſſe docuit Hipp. certiorẽ peſtis ſimplicis præbent ſignificationẽ. Virium propè earundem in indicando eſt toruus ferinus ac ipſo ſtatim initio varius oculorum obtutus, vires item tantumnon proſtratæ, vix vt collum ipſum erigi immotúmve ac firmum teneri poſsit.

In Progn.

Peſtilentis febris ſimplicis propia ſigna.

Eius autem febris quæ ſimplex eſt peſtilens propria ſymptomata eadem ferè ſunt cum iis quæ ſimplicem febrem proſequi cõſueuerũt: oculorum, inquam, ac totius faciei rubor inflãmationis particeps, ſpõtanea laſſitudo artus omnes occupãs, magna inquies totiúſque corporis iactatio mirandũ in modum fatigans atque moleſta, venæ copia diſtentæ multúmque turgentes, temporum pulſatio vehemens, capitis dolor inſignis aut eius grauitas tantùm cum ſenſuum interiorum non leui ſtupore, ſomnus haud rarò altus & veternoſus, ægra difficiliſque expergefactio, grauis nec facilis reſpiratio, pulſus

ſus maior, frequentior, plenior atque velocior: cutis extimæ calor haud acer eſt, ſed blando calore madoréque tota perfunditur, ſitis vrget nonnulla nec tamen pertinax, denique lingua non admodum ſicca, nec vt in pleríſque acutis morbis ſcabra aut ſalebroſa viſitur.

De febre quam peſtilentem ſimplicem diximus atque eius ipſius indiciis hæc dicta ſunt. Nunc quod proximum eſt dicam de febre eadem, ſed coniuncta cum ea quæ ex humorum putredine eſt, aſcriptis notis quibus in notitiam ea venire poſsit. Sunt igitur huius quàm illius ſymptomata & conſpicua magis & aliquantò vehementiora, qualia ſolent eſſe quæ putridã permiſtionem vel anteire vel comitari conſueuêrunt. Color faciei rubore tenui ſplendeſcens ac ἐρυσιπελατώδης, pulſus magnus ferè, ſed tamen inæqualis nullo ſtato repetens ordine ac nonnunquam intercidens, nunc plenior & vndoſus, aliàs μυρμηκίζων, nunc celer & frequens eóque magis quò vehementior vrget caliditas, aliàs tardat ipſum rarioremque facit facultas imbecillior: rurſum is modò fortis ac vehemens, modò languidus: hic oppreſſam naturam, leuatam ille ſignificat. In his eſt ventriculi labefactata functio, deiecta appetentia, meracæ bilis vomitus aut coloris varij. Vrina verò vel ex toto cruda vel obſcurè concocta, atque hæc maximè ipſo

Peſtilentũs febris putridæ propria ſigna

Gal. 3. de præſag. ex pulſ. ca. 3. & lib. 6. epid. ſect. 1. com. 28.

ſtatim mali initio: huic ordine proxima craſ ſa primũ, deinde turbata & qualis ſolet eſſe iumentorum: in qua quidem ſecretio ferè nulla, aut ſiquid ſecernatur, ἐναιώρημα malũ: ſedimentum verò peſsimum eſt, longéque grauiſsimi morbi ſignificationem affert. Eſt quando ex inſigni obſtructione ceu per arctiores meatus percolata tenuis quidem & aquoſa meiatur, ſed circulo interdũ in ſumma facie liuido: colore alba quandoque eſt aut flaua, aliàs coloris natiui imbecillis admodum index liuida, denique extincti iam caloris omniúmque deterrima nigra: qualitate verò acris & mordax ſæpenumerò, ſubſtantia nõ rarò pinguis & oleoſa: nunquam verò non grauis, fœtidúmque ſemper halitum efflat. Non poſtremæ notæ eſt anhelitus animáve ſæpiùs graueolens, quod non tam Medicorum (quorum ordini dedecori eſt) quàm imperitę multitudinis obſeruatione comprobatum eſt. Ex iis quæ non ſedis alicuius propria, ſed corporis ſunt totius, calor primò ſtatim acrior Hipp. etiam δακνώδης, ſudor διαφορητικὸς, idémque inſolenti cũ fœtore propter fæculentam putredinẽ, multus ex putris materiæ copia, denique præ innati caloris infirmitate frigidus: inquies iactatióque corporis indefeſſa. Quæ verò ſubſequuntur ſedium corporis aliquot indicia ſunt: reſpiratio ſublimis, nõ facilis, magna, inæqualis ac penè ſuffocãs, ſitis inexhauſta,

Gal. 3. de præſ. ex pulſ. cap. 3.

καρδιαλ-

καρδιαλγία, cordis tremor aſsiduáve palpitatio, oris ac faucium color Galeno peſtilens interdúmque ſimiliter herpetibus depaſcẽtibus longè latéque diffuſus: in præcordiis æſtus vehemens aut eorundem contentio caloris innati defectu. Hic enim dũ à præcordiis recedit ac circa cor totus ferè ſeſe colligit, in cauſa eſt flatuum ea parte multiplicium. Illis accedunt mentis de ſuo ſtatu deceſsio, delirium frequens, aut ex inter ſeſe cõtrariis ἄγρυπνον κῶμα, phrenitis interdum, furor aut aliunde mota mens, & adeò vt eius bonitate deſtituti plurimi ex alto in prę-ceps ſeſe dare nihil dubitauerint, lingua arida, ſcabra, nigricans ac tantumnon torrefacta fereque amara. Alui excrementa liquida, fœda teterrimiq; odoris, συντηκτικὰ & pinguia, flatulenta interdum ac ſpumantia: atque hęc ipſa modò biliosa, modò atra, modò verſicolora: imo & colorem eundem vt retineãt perpetuũ nõ eſt: alios enim atq; alios viciſſitudine quadã induunt. Galenus morbi initio vel incremento tum flaua, tum fulua colore viſa colliquefacta ramenta commemorat, quæ poſteriùs inſtar fæculenti ſanguinis atra conſpicerentur. Sunt quos malè habeat tuſsis qua nihil expuitur arida, ἄφθαι, ſputum ſanguinis aut è naribus αἱμοῤῥαγία, titubãtia oris, vocis raucitas, oſcitatio pandiculatióque frequẽs, corporis totius narium imprimis pruritus maximus, nimirum exuſto

Gal. 3. epi. 3. com. 58.

Sect. 4. aph. com. 21.

vapore ſurſum ad cerebrum rapto aũt adhuc exhalante qui συμπαθεία nares vellicet atque conuellat, lumbricorum teretium atque omnis generis vermium excretio. Nec deſunt qui eo numero habeant violentas cõuulſiones atque alia his ſimilia, quæ tum ab actione læſa, tum ab excremẽtis mutatáque qualitate deſumuntur. Sed tum hęc ipſa tum illa ferè omnia ſymptomata pro varia corporis humorúmque conditione alia alios exercent: qua certè quidem ratione tam varia fit, vt raro duos vſquam videas eãdẽ cõtagione inquinatos ſimilibus premi ſymptomatis. Adde ꝙ inſolens haudquaquam illud eſt quod ab vſu peritis Medicis eſt obſeruatum, euenire vt febris peſtilẽs ſimplex haud raro tranſeat in putridam, atque hæc ſuperata viciſsim putredine in peſtem ſimplicem euadat. Nemini mirum igitur videri debet quod depromtæ inde rationi eſt conſentaneum, planè varia ac tum huic tum illi peſtilentium morborum ſpeciei peculiaria ſymptomata vnũ & eundem ſimul experiri. Obſeruatum hoc amplius ſcitúque digniſsimum eſt, morbi perniciem & malignitatem vſque eò increſcere interdum, vt & thorax totus & intima pręcordia ipſáque adeò viſcera vehemẽter vri repẽtinóq; velut incendio flagrare videantur, ac nihilominus à fonte caloris diſsitæ extimæ partes frigeant atque ipſum etiam dorſum obrigeat, fiátque, quod

Paul. Aegineta.

Lipyriæ peſtilentis ſigna.

1. com. in 6. epid. tex. 29.

quod ait Auicennas, febris foris quidem mitis, intus verò conturbans: hāc idcircò omnium ex putredine pestilentiū deterrimam atque perniciosissimam conuenienti aptóque nomine λειπυρίαν pestilentem appellare liceat, vt in qua insitus calor nobilissimi visceris affectu imminutus in totum corpus diffundi nequeat, attamen exiguus pusillúsque is qui præcordia obsedit acrimoniæ feruoris atque vehementiæ tantum acquirat, vt ritu cucurbitulæ calorem ab extremis vsque partibus corporis vniuersum ad sese euocet. Nec enim aliunde fit, vt ægroti sub hac febre inalgescentes frigidioresque contactu percipiantur. Symptomatis verò genus hoc sub ea peste quæ Athenis olim grassata est familiarissimum fuisse testatum reliquit eius historiæ Græcus author ipsissimis hisce verbis: τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι, καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό, τε πλέον καὶ ἔλασσον ποτὸν, &c.

lib. 2. de bel. Pelopon.

In pestis signis Bubones non postremū cum carbunculis, parem potiùs, locum obtinent tanquam non minùs expressi teterrimi mali characteres. Horum verò indicio est in adenibus emissariorúmve aliquo tumor insigni dolore comitatus, ac is quidem ipso

Bubonis pestilentis signa.

ſtatim initiò mobilis interdum, dein fixus ſuæque ſedi firmus inhæreſcens, modò proximæ cuti ita cõcolor vt illius colorem non excedat, modò citrinus, liuidus aliàs, aliàs nigreſcens: inter hos & eos quorũ alia quæuis cauſa procreatrix eſt hoc interpoſito diſcrimine, quòd illi ferè à frigidiore miniméque venenata materia proficiſcãtur, horum verò & venenata & cum caloris exceſſu cõiuncta materia cauſa ſit: priores ipſo ſtatim exortu ſint ferè doloris expertes, his contrà dolor cruciatúſque vehemens: illi magnam partem ſine febre, hi ſæpenumerò febrem ex continuarum genere comitentur: illorum nunquã non conſpicua cauſa ſit, hi ferè ſemper abſque cauſa manifeſta protuberent: illi quauis anni parte tempeſtatéve exoriantur, hi nõ niſi graui omninóq; peſtilẽti cœli cõſtitutione ſeſe ita patefaciant, vt venenatæ qualitatis notas alias omnes cum peſtilentibus aliis morbis communes præſeferant. Quibus verò partibus inſidere debeant peſtilẽtes hi bubones, ſignis etiam quibuſdam haud obſcurè internoſcitur. Futurum nanque ſub mento ſeu in iugulo tumorem ferè antecedunt vigiliæ aut ſopor grauis, capitis dolor, vertigo, deliriũ, faciei φλόγωσις, arteriarum circum tempora pulſus: fluit ſanguis è naribus, vrinæ aqueę & pellucidæ. Sin futura ponè aures παρωτὶς, adeſt lethargus aut hebes ſenſus ſtupórve, aurium tinnitus, δυ-

σηκοΐα,

σνκοῖα nec leuis capitis dolor. Si ſub alis, cordis palpitatio, animi frequens deliquiũ, ſpiritus ægrè trahitur, cordis eſt contractio diſtractione diuturnior. In inguinibus autem futurum tumorem prænuntiant ſitis pertinax, cibi faſtidium, venarum pulſus vehemẽtior, vrina turbida & graueolens, quibus addunt nõnulli fœdum maximeque citrinum faciei colorem. Quòd ſi, vt interdũ euenit, è pluribus pariter ſedibus perrupturi ſunt bubones, miſta illa eadem partium ipſarum indicia conſpiciuntur.

Carbunculi autem peſtilentis ſeu bubone comitati ſeu etiam ſolitarij ac citra bubonẽ extima quauis corporis parte proſilientis haud obſcura ſunt quæ ſequuntur indicia. Tumorem ferè pręcedit pruritus inſignis, & adeò, vt volẽs nolẽs ægrotus vnguibus ſcabere cogatur: in extima tũ cute dolor immitis, paulò pòſt φλυκταίνα, hoc eſt puſtula ſiue bulla vna acerrima & ardentiſsima ambuſtis haud abſimilis, vel etiã plures exilis milij magnitudine proſiliunt ardore ac dolore acerbiſſimo conſociatæ, à vapore ſingulæ atque omnes aut etiam ſanguinis ſero acri ac mordaci atræ bili permiſto progenitæ. Color iis prout varia eſt humorum corporiſque conditio varius: modò enim pallidæ, modò rubræ, citrinæ aliæ, alię virentes: quædam ſubnigræ, alię vel liuidæ omnino vel ſubliuidę, aut etiam verſicolores. His ruptis ardoris

Peſtilentis carbunculi notæ.

Gal. 2. ad Gl. cap. 1, & 14. Meth. cap. 10. Paul l. 4. c. 25. Aëtua. l. 2. cap. 2. Celſ. lib. 5. cap. 28. Orib. de mor. cur. l. 3. c. 27. Aet. tet. 4 ſer. 2. c. 58.

eadem vi velut à candente ferro crustosum vlcus obducitur luteum nigrum aut cinereũ, aliàs subnigrum aut liuidum. Nec raro etiã citra pustulam pustulásve sese dant in conspectum carbunculi. Commune est autem tum his,tum prioribus illis crustam (ἐσχάραν Græci vocant) superinduci, cui subiacet ac etiamnum firmius adhærescit adusta caro purpureo colore ac sensus expers. At quæ caro in ambitu est crustæque circumiacet, cum ardore tumore ac dolore implacabili feruentissimam incurrit inflammationem quam Græci φλόγωσιν dicunt: colore verò vel nigricat vel tantùm liuescit, víque feruoris picis aut bituminis in modum splendescit proprium bilis quę exactè sit atra colorem referens,quem quidem imitabere si plusculo rubro nigri minus admisceas. Atque hæc quidem indicia sunt Carbunculi ex affectu ipso depromta: quibus accedunt communes aliæ notæ, somnus profundior, horror interdum, semper verò grauis & molestus admodum in parte ipsa sensus cum pulsu renixu ac tensione insigni, nec leuiore q̃ si vinculis ipsa vehementer constringeretur. Denique nunquam non adsunt venenatæ qualitatis ac perniciei indicia,quibus tanquã characteribus ab reliquis carbunculorũ generibus haud obscurè distinguuntur. Vulgares enim illi tametsi haud secus atque pestilentes hi & maligni sunt & suæ malignita-

tis

tis cõmunibus ſymptomatis inſigniuntur, febre inquam & iis quæ febrẽ vel comitantur vel ſubſequũtur accidẽtibus, à peſtilentibus tamẽ longè latéque diſsident: vt qui tẽpeſtate quauis abſque diſcrimine, hi non niſi venenata cõſtitutione gignãtur. Illi nullis vnquã peſtilentium morborũ propriis ſymptomatis inſigniantur: hi contrà non paucis aut certè plurimis eorum quæ à nobis pleniùs antè commemorata ſunt.

Peſtilentiũ ecthymatum ſigna.

Eſt & malignitas cæcáque pernicies peſtilentibus ecthymatis quàm in carbũculo aut bubone mitior quidem, ſed qua vel ſola ab ecthymatis cæteris internoſcantur quæ alia quauis conſtitutione tum in ſynochis, tum aliis in febribus aut corpore toto, aut certis tantùm ſedibus per criſin erumpunt, maximéque circum labia, mentũ ac nares. Sunt autem hęc aliud nihil niſi peſtilẽtes puſtulæ ſeu veſiculę, quæ cuius cuius ſint coloris, citrina ferè ſanie refertæ ſunt: ídq; ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ in peſtilenti conſtitutione, per quã vlcerãtur ſaniémque illam eructant carbunculi naturam imitatæ. Eſt & quando celeriter reſiccantur atque concidunt.

Macularum peſtilentium indicia.

Maculæ verò peſtilentes tum latiores tum & eæ perpuſillę quæ minutula ſua ſpecie pũcticula & ſunt & iure dicuntur pulicúmque culicum aut cimicum veſtigia referunt, ſuis ſeſe prodũt indiciis: atque aliàs corpore toto erumpunt, aliàs huius tantùm ſedibus ali-

quot,puta dorsi parte extima superioréque, humeris,pectore aut palpebris, interdum etiam circa lumbos emergunt colore aliàs alio. Modò nanque rubræ, modò purpureæ aut violaceæ,aliàs fuscæ,nigræ aliàs aut etiã liuidæ conspiciuntur. Nec desunt qui citrinas atque subalbidas:sunt & qui à se virides etiam obseruatas asserant.

Quæstio de stigmatis.

Existit autem hoc loco quæstio subdifficilis, an hæc ipsa quæ iã στίγματα seu στιγμάτια Medicorum Scholæ nominant pestilentium morborum propria sint, an verò aliis absque peste affectibus cõmunia. Difficilis est de Medicis in vniuersum confirmare. Vnus Raimundus Vinarius qui ante annos plùs minùs ducentos Auenione vixit, hæc ipsa pestilentium morborum propria esse videtur innuere: quam sententiam secuti sunt plerique ex recentioribus iis qui de peste commentarios ediderunt, & si qui prætereà alij eadem hæc soli & omni pesti cõuenire existimant. Hos ego in tanto errore versari diutiùs haud patiar. Nam etsi fateor huius generis maculis omnibus nonnihil inesse cæcæ malignitatis quæ quidem & venenatis & epidemiis omnibus affectibus cõmunis existat, attamen diuersi generis aliis etiam affectionibus superuenire quandoque constanter affirmo: neque id ex meo sensu duntaxat, sed tum doctissimi viri Cornarij opinione adductus, tum compluribus atque

Lib. de peste. 1. cap. 3.

Lib. 2. de peste. cap. 6.

variis

variis Medicorum Principis Hipp. locis, tũ etiam cõplurium Medicorũ ſermonibus qui celeberrimi nobilibus in locis nunc hodiéque Medicinam magna cum laude faciunt, à quibus perdiu quæſitum hoc eſt & in partem vtranque diſputatum. Enimuerò & menſium diutinæ ſuppreſsioni maculæ illæ ſuperuenire comperiuntur, & tum acutis vt ſynochis quibuſdam & ardentibus necnõ peſtilentibus abſque peſte febribus, tum etiã longioribus quibuſdam malis: quorum omnium non communis eſt cauſa, ſed ſua cuique peculiaris: ac proinde nec ſolitariæ nec niſi cum aliorum ſignorum coniunctæ συνδρομῇ peſtis fidem facere poſſunt, id quod etiam rectè ſenſiſſe videntur ſummo ingenio tum Medici tum Philoſophi Fracaſtorius & D. Ioubertus doctor meus imprimis obſeruandus ac de me meíſque æqualibus quàm optimè meritus. Atque, vt teſtes alios omittam, vnus mihi ſexcentorum inſtar erit diuinus Hipp. cuius iudicio & teſtimonio plurimum ſemper eſt tributum. Is peſtilentibus hiſce ςίγμασιν omnino ſimillima ac tantum non eadem videtur deſcribere, quo loco de iis agit, quæ quidem ἐν αὐτῇσι τῇσι θερμολουσίῃσιν ἀνίςαται γινόμενα καὶ γυναιξὶν ἐκ γυναικείων ἀναδρομῇ ὑπὸ χρῶτα, καὶ ὑπὸ ἐρέθισμα δέρματος, ἢ ἱματίων τρηχείων ἀήθει φορήσει, καὶ ἐξ ἱδρώτων ἐξόδου ἢ ἐκ ψύχεος ἐξαίφνης πρὸς πῦρ ἐλθόντι ἢ λουτρὰ θερμά. Siquidem in hiſce affectioni-

De contag. lib. 2. cap. 6. & 7.

Sui de peſte li. ca. 8.

Lib. de vſu humidorum.

bus omnibus ab Hippocratę commemoratis, vt & aliis à me anteà recensitis huiusmodi rubicundæ maculæ suboriri consueuêrunt. Quòd si erunt quibus hic locus nō satisfaciat, en & eiusdem Hipp. locum alterum, quo quidem rubores culicum morsibus haud absimiles fulloni cuidam phrenetico subortos fuisse commemorat: vt & haud ita multò pòst fereque eodem loci, Pherecidi empyematico & Euphranori cuidam, nominátque affectiones eiusmodi οἷα ἀπὸ κωνώπων ἐξανθήματα. Sic & idem ille ὑποπλατέα ἐρυθήματα in peripneumonia ac plerisque aliis tum acutis tum longis morbis, nedum sola peste in pectore, vētre, inguinibus, extremis extimisque sedibus exorta fuisse refert, quæ quidem præsentis perniciei semper fuerint atque lethalia. Ergo & tot authoris grauissimi testimoniis & naturæ rationísque bonitate ductus ex facili colligas, cutis istas fœditates non in acutis modò, sed longioribus etiam quibusdam in morbis obseruari. Macularum verò pestilentium quibus à modò dictis discernātur propriæ quędam sunt notæ. Nam & absque manifesta causa nec nisi in pestilenti constitutione apparent, ac plerunque liuidæ diffuso in corporis totius habitum veneno ferè exitium portēdunt, nonnunquam cùm in propinquo mors est aut à morte statim erūpunt. Cęterùm pestilētibus hisce maculis (quod hîc à solertissimo Medico

Lib.7.epid.

In Coacis prænot.

dico D. Bauhino iuniore aliiſque non paucis eſt obſeruatum) haudquaquam eſt quod perpetuum ferè in aliis animaduertitur ſchema rotundum. Sed de peſtilentium omnium tum morborum tum etiam ſymptomatum demonſtratiuis ſignis, hæc ſatis.

Prognoſtica ſalutis.

Prognoſtica quæ vel ſalutis ſpem facere vel mortis metum inferre conſueuêrunt, plerunque non illicò vt morbus inuadunt, ſed aliquantò pòſt ſeſe proferunt: proindeque etiam mox apparentia aut ſuperuenientia nuncupantur. At in acutis hiſce valdéque præcipitibus morbis non modò non ſuperueniunt, ſed vel ſimul cum ipſo malo ſeſe patefaciunt, vel idipſum etiam initiò ſtatim retegunt. Rurſum & prædictiones his ipſis in morbis vtpote malignis maximámq; partem perimentibus, quemadmodum & in toto propemodùm acutorum genere, tãtùm abeſt ſatis vt certę ſint, vt vel authore Hipp. per quàm fallaciſsimæ atque difficillimæ ſemper exiſtant. Huiuſce non dubia ratio, quòd veluti furioſæ & inſtabiles ſunt eiuſcemodi morborum cauſæ, quę ex nobilibus locis ad ignobiles viciſsimque ex ignobilibus ad nobiles facilè permeent, meritóque Medici animum ſollicitum ſuſpẽſúmque reddãt. Inde verò fit, vt eadẽ ferè ſymptomata notentur quibus ſpes eſt ſalutis, atque iis quorum mors in propinquo eſt: nec tamen iudicando videátur aberraturus quiſquis mortẽ

Aph. 19. ſect. 2 & Celſ. lib. 2. cap. 6.

Gal. comm. in aph. 21. sect. 4.

potiùs quàm ſalutem expectandam perpetuò prædixerit. Ea quanuis ita ſunt, quæ nihilominus ſalutem ægrorum quæve exitium vtplurimùm portendere à pleríſque viris eruditis obſeruata ſunt in ſequentibus aſcribere non grauabimur. Igitur ſalutis præſagia fuerint, ſi æger εὖ ἔχει πρὸς τὰς προσφορὰς καὶ ἔῤῥωται ἡ διάνοια, ſi febris remittat, inquietudo nulla ſit, cibi vigeat appetentia, denique ſi mitiora omnia compareant. Eiuſdem ſignificationis ſunt criſes quæ ſtato die critico fidè tutò & abſq; periculo recidiui morbi decernunt: atque intẽr has maximè laudantur quæ ſudoribus, his proximè quæ per alui profluuium vel vrinas, aut fuſo è naribus ſanguine morbos finiunt. Ab harum bonitate recedũt minúſque fidę ſunt quæ vomitibus fiunt criſes. Quòd autem quæ ex pulſu & vrina petuntur indicia Galeno alibi multò certiſsima ſunt, id in peſtilenti caſu verum non eſt, vbi tum pulſus tum multo magis vrinæ quæ ſunt à naturali ſtatu remotiores vitam diutiùs prorogare atque in longius diſtrahere vidẽtur. At verò conſpicua in alui fæcibus coctionis ſigna ſalutem indicant. Ex peſtilentium febrium genere metus ac periculi minus habent eæ quibus quamprimùm ipſo ſtatim initio erumpunt tubercula maculæve, per quas nimirùm venenata materia ab internis principibúſque ſedibus ad externas atque ignobiliores

Hipp. sect. 2. aph. 38.

liores depellitur atque protruditur. Harum etenim vti & tumorum maturè, cõfertim & in principio facta eruptione saluber euadit morbus q̃ priùs erat lethalis & alioqui toto genere mortiferus. Quod verò aliis in vniuersum morbis commune docet esse Galenus, in pestilentibus id locum habere ne ipse quidem voluit. Quis enim tã parùm fœliciter in sedula attentáque boni authoris lectione versatus credat de peste dicturum fuisse? *Cum morbi initium est, si quid excernitur, id naturæ lege non excernitur, sed sunt omnia earum quæ præter naturam sunt corporis affectionum symptomata.* Quis tam hebes vt hęc ita semper habere credat, ac non potiùs acutissimæ mentis sensa de iis duntaxat casibus accipienda iudicet, in quibus expectatur aliqua materiæ concoctio? At in peste cùm materia morbum faciens sit genere toto præter naturam, quis non videat frustrà concoctionem expectari quæ futura nunquam est? Quare quò celeriùs ocyúsve hoc in morbo venenũ robusta natura propulsat, eò periculi minus is habet semperque tutior existit. Hæc de tumoribus maculisque febrium symptomatis. Si verò derepentè simul & confertim nulladum orta febre tumores eruperint, à partibus principibus ad ignobiles locum nimirùm securum ac periculo vacantem longè depulsa materia: salutis spes certior multò promittitur, maxi-

Gal. lib. de constit. art. med. & Meth. lib. 5. cap. 12.

Cõm. 22. in 4. sect. aph.

meque si æger leuior aliquantò sibi meliórque videatur. Ea etenim interiorum princi-púmque partium vim expultricem valẽtiorem robustioremque esse indicant, quæ venenatam materiam tanquàm hostem infensissimum à sese tam procul exegerint. Quæ verò febrim etiamnum subsequuntur tubercula siquo ex principibus critico die non aliunde symptomatibus prouocata natura protuberent, valetudinis melioris spem faciunt, quoniam victrix validáque natura suo tempore officiũ expleat. Spes verò firmior, si tuberculis iisdem moles magnitudóve insignis accesserit. Hæc siquidem licet magnã vim veneni significat, expellentis tamen facultatis integritatem pariter demõstrat, nec materiæ noxiæ quicquam relictum esse indicat quod nõ à natura fusum fugatúmque & ad partem affectam transmissum sit, maximeque si febris vnà desierit. Denique metum ferè omnem adimunt ac iam sanescentis indicio sunt bubones etiã plures, ij modò promineant illicò & suppurent. Si carbunculus in carne musculosáve parte obortus est: si color initiò rubicundus, deinde citrinus, ægrotus in spe est: nec minùs si crustæ color ex nigro luteus euaserit: nam & id bono solet esse. Criticæ tum pustularum tum etiam macularum eruptiones conferunt haud parùm, ægríque ex iis leuiùs habent. Papulæ si fuerint exiguæ nec ita mul-

tæ

tæ per corporis extimam ſuperficiem rariùs vndique ſparſæ, maximè ſi color ſit aut albidus aut ſubrubicũdus; mollicies verò mediocris: ſi item maculæ complures ac rubicundæ, deſperata ſalus non eſt. Verùm ſemper inter cætera viribus attendendum, validæne ſint ac vegetæ nécne. Nam ſi antè cõmemoratis facultatis viriúmque robur acceſſerit, in ſpe ſanitas eſſe debet: è diuerſo in virium infirmitate etiam optima quæque ſigna ſuſpecta debent eſſe. Enimuerò tùm (quod in admirandis poſuerim) ferè accidit vt morbus in ſpeciem mitior aut victus etiã, dum furtim radices altiùs agit, vires ex inſperato percellat ac tollat inopinatò. Si qui verò, qui certè rariſsimi erunt, deuicto morbo triumphum agere ſe putent, & ij magna de ſpe decidunt & iis ſalus penè omnibus magno admodum conſtat. Siquidem memoriæ proditum eſt malignitatis notas longè grauiſsimas omnes non paucis relictas fuiſſe, ac horum alios excæcatos, alios obſurduiſſe, alios alia atq; alia corporis parte, vt oſsibus, carnibus, neruis, articulis etiam ipſis mutilatos: hos inſaniuiſſe, illos rigoratos aut cõuulſos permanſiſſe: fuiſſe etiam qui memoriæ iacturam fecerint tantam vt non modò familiares non agnouerint, ſed ne ſeipſos quidem, ſuorum etiam nominum obliti: id quod in dira illa Athenienſiũ peſte cõpluribus accidiſſe teſtatur Thucydidis hiſtoria.

Lib. 2. de bell. Pelopon.

Prognostica mortis.

Licet autẽ ex salubribus atque securitatis signis mortis quoque indicia disci intelligíque ex facili poſsint, ídque cõtrariorum cõtraria viciſsim indicantiũ lege: nequid tamẽ non satis explicatum præteriſſe videamur, hæc quoque non grauatè subiiciemus. Igitur dira mortísque prognoſtica signa inter alia hæc: vomitus varius atque discolor, viridis interdum, ruber aliàs, colore liuido aut, qui nunquam non terrori eſt, nigro, maximéque magna si fœditas odoris accesserit, vnguium item vel aurium nariúmve, aut simul ominum liuor, cordis tremor atque palpitatio, faciei color varius aut etiam purpureus, viridis, niger aut liuidus. Periculi terrorísque plenisſima sine cauſa conspicua collapsa tempora, nares acutæ, oculi inter initia concaui ac ceu ex contuſione liueſcentes, iidem si ſponte illachrymant: frigidæ cõtractæque aures & imis partibus leniter verſæ, cutis circa frontem dura, intenta & arida: mortis ex præſenti caſu metus inſolens, perturbatus sermo, inopinatò ac derepentè obortus in ventre tumor cum diſtentione hydropem referens nihil intereà miteſcente morbo, singultus, febris magna cũ symptomatum ſæuitia maiore, alui proluuies liquida, pinguis, liuida, atra, verſicolor & peioris grauiorísque odoris quàm ferat leuiorum affectuum conſuetudo. Indubitata & hæc: ſanguis ex ore vel naribus aluo aut veſica

Hippoc. in progn. 2. 39. & Celſ. lib. 2. cap. 6.

Hip. progn. 1. 15. & Celſ. lib. 2. cap. 4.

Hippoc. in progn. 1. 10.

Hip. aph. 52 ſect. 4. & progn. 1. 13.

Hip. progn. lib. 2. & 21. aph. 4. ſect. Celſ. lib. 2. cap. 4. & 6.

profluens

profluens, inuerecundus ac ſine pudore decubitus, maior ex ſomno grauitas atque dolor: ſi interiora ceu quodam caumate æſtuant, exteriorum frigus eſt. Præclarè ſiquidem ab Hipp. ſcriptum eſt: Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον. Salutem in præcipiti atque ad vltima iam ventum eſſe teſtantur, aſsidua & implacabilis nauſea cum vomitione obrepens, à vomitu ipſo ſingultus, cibi faſtidium, moleſta admodũ ἰσχουρία, poſt criſim morbus nihilò quàm ante leuior. Aluus fuſior ac immodicè liquida cum frequenti animi deliquio aut viribus ex toto proſtratis ſyncope, ſudor διαφορητικὸς iſque maximè qui frigidus & grauis odoris circa faciem, ceruicem, pectus aut corpus totum erũpit, ſigna ſunt, vt dixi, indubitãter mortifera. Quorum itidem inſolens eſt animæ fœtor & graueolentia abſq; alio vllo vſquam vitio, ij omnes pro deploratis habẽtur. Sic quoque lumbricorum per inferiora excretio mortiferis antedictis conſociata mortem in propinquo eſſe denuntiat: corpus enim iam cadauerosũm & ij quodammodò refugere videntur. Ex vrinis præſagium in peſte incertum eſt, eóque nec in bona certa fiducia nec mala ſalutem in deſperato eſſe ſtatim indicat, etiamſi boni nihil quod fas ſit dicere mala promittat, veriſsimúmque ſit fuerítque ſemper Hippo-

Hipp. ſect. 2. art. 1. & Celſ. cap. 6. lib. 2.

Aph. 48. ſect. 4. & aph. 1. ſect. 7. Celſ. lib. 2. cap. 6.

Hipp. aph. 41. ſect. 2.

Idem aph. 37. ſect. 4. & progn. 1. 29. Celſ. lib. 2. cap. 6.

Lib. prænot. in fine.

cratis illud, *quouis anno & quacunque tempestate mala malum, bona bonum significare.* Magna nihilominus vrinarum ratio apud Authores habetur, sentientibus quibusdam quæ sanis est simillima & in qua quod subsidit non est à natura alienum eam in peste omnium maximè mortiferam esse: hac verò non multò minùs exitiosam & lethalem nigrã, liuidam, odore tetro, crassam & qualis iumentorum solet esse. Refert & ἐναιωρή-ματος obseruatio: in quibus enim vrinis subliuidum illud est aut latis araneorum telis vel lanæ cõgestæ quadantenus simile aut in quibus ἐναιώρημα planè nullum innatare deprehenditur, malæ omnes Galeno authore. Tubercula verò si alio quàm decretorio die prorumpãt, ominosa ferè sunt atque lethalia, quoniam non stato sed alieno tempore morbo ac symptomatis offensa natura expulsionẽ molitur inutilem nihílque profuturã. Inter bubones qui ad emissaria cordis maximéque parte sinistra erumpunt, vt primariò ipsum vitæ fontem obsessum indicant, ita & periculum non leue præsagiunt súntque mali omnes. Proximæ malignitatis qui ponè aures aut sub mento exoriuntur. Iidem omnes semel oborti si altiùs delitescant nihilò leuioribus mitioribúsve symptomatis, indubitanter mortiferi. Causam afferunt, quòd naturæ robur exolui venenúmque intrò remeare nõ obscurè significent.

Hippoc. in progn. & Cels. lib. 2. cap. 4.

Lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 4.

ficent. Ex his ipſis qui luridi, virides cæruleóve colore, eruptionem ipſam teſtantur non niſi ἐκ συμπτώματος γεγενῆσθαι, ídque à materiæ malignitate venenatáque pernicie victa natura. Peſtiferæ pernicici præſentioris atque adeò curatu difficilior carbunculus is, qui tendinibus, membraneis neruoſíſve partibus inſedit. Mala quoque ſigna ſunt eius qui cordi viciniores partes occupat, peſsima cùm circa ſtomachum faucéſve: ocyſsimè enim exanimat ſubitóque, vt Celſi verbis vtar, ſpiritum ſæpe elidit. Quacunque autem è corporis parte proſiliat, ſi delituerit intùs nec ſymptomata remiſsiora ſint, mors prædicenda: vti & cum duritia circà rubens, capite nigricans, liuidus aut viridi colore ſicciórque (fruſtrante quę ſperabatur maturitate) neminem ferè nõ iugulat: nullus tamen ex ſua natura non pernicioſiſsimus cenſetur. Ea pernicies deprehendi haud aliter quàm euẽtu vix vnquam poteſt, éſtque ſemper obſeruatũ carbunculos quàm bubones plures multò pernicioſiores exiſtere, ac minores in vniuerſum maiuſculis maligniores. Mala ſigna ſunt puſtularum quæ viſcera interioráque alia occupant, vel foris in facie conſiſtunt: atque earum ipſarum plures paucioribus deteriores, vti & maiores minoribus, denique tardiùs maturitatem adeptæ iis quæ celeriùs decidunt. Non minùs malæ quæ cum pruritu & ardore: quas

Lib. 5. ca. 28.

Hipp. prognoſt. 1.

item aluus liquidior aut frequens vomitus comitatur. Pessimæ verò omnium flauę, violaceæ, liuidæ & nigricantes, denique virosæ quæque sanie intùs viridi sordent. Papulæ si vlcerosæ eædemque liuidæ aut pallidæ, vtroque autem modo siccę appareant, mortiferæ : quæ obseruatio vna non in hisce tãtùm, verumetiam in toto vlcerum genere Hippocrati Medicinæ principi locum habet. Inter maculas quæ pauciores liuescunt aut colore nigricant, propinquam mortem prænuntiant. Harum ac pustularum commune hoc est, quòd si intrò remeent & altiùs delitescant, omnes pariter perniciem afferunt. Testem adhibebo Galenum quo loco ait, Τὸ ἐξαίφνης ἀφανισθῆναι τὰς ὀδυνηρὰς διαθέσεις πρὸς τὰ σπλάγχνα δηλοῖ τὴν μετάστασιν τῶν λυπούντων γεγονέναι. Liuores nigricantes circa faciem, vestigia item instar vbicum qui relinquuntur à flagellis in dorso vbique sparsa, mortis signa solent esse.

Progn. lib. 1.25.

In calce prorrh. vide etiam cõm. aph. 25. sect. 6.

Cæterùm prædicendo nequid præterire videamur, peste simplici, vt omnium maximè mortifera breuissimique temporis, intra horas quatuor & viginti aut vtplurimùm triginta ægroti tolluntur. Quæ verò pestilentiæ mistæ sunt in tertiũ quartúmve diem ferè protrahuntur, septimum verò attingũt nonnunquam, vix excedunt, quę Hippocrati prædictio ad alias quoque præcipuæ malignitatis febres omnes extenditur, harum

Terminus morborum pestilẽtium.

3. Progn. 3.

ipsarum

ipſarum pernicie terrificis ſignis demonſtrata. Quæ verò ad decimũquartum diem perueniũt, harum tum venenata prauitas ſolito leuior in cauſa eſt, tum cõſtans firmiórque valetudo. Nec enim dubium quin varietur terminus, pro humoris ipſius venenati prauitate & copia paucitatéve atque corporum conſtantia aut imbecillitate.

Signa peſtilentis cadaueris.

Iam extinctorum peſte cadauerum obſeruatio communis omnium ſalutis morborúmque præcauẽdorum intereſt. Igitur extincti peſte cadaueris conſpicua ſigna ſunt, peſtilenti cõſtitutione carbunculi, bubones & ἐκθύματα, pendulæ ac nigricantes aures, narium pinnæ aut ſubliuidæ aut etiam nigreſcentes, corporeæ molis inſolens mollitudo, conſueta cadauerum durities ac tenſio vix vlla: maculæ in toto ſæpe corpore, interdum certis duntaxat partibus liuidæ nigróve colore abſque tumore omnes conſpicuo, diligenter interim non minùs quàm induſtriè diſtinctis peſtilentibus ab iis quæ alterius & caſus ſunt & temporis. His adde quæ minùs dubiam fidem faciunt, mortem repentinam quæque illam anteceſſerunt indicia. Certius porrò tutiúſque iudicium fuerit, ſi tempeſtas præſens aliquam peſtilentium morborum ſignificationem præbeat, ac eodem ferè tempore momentóque plures derepentè ac præter expectationem peſtem oppetant. Nec tamen hæc ita velim

accipi, quaſi ex ſola ipſa præſenti tempeſtate (quod temerè plerique faciunt) ratum aliquid indubitatúmq; pronuntiandū putem: ſiquidē νοσήματα πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίγνεσθαι præclarè nō minùs ac verè docuit ad mirādus Hipp. De peſtilētibus aëris ac morborum itidem peſtilētium ipſáque peſte extinctorum cadauerū ſignis, hæc ſatis multa.

Aph. 19. ſect. 3. & Celſ. lib. 2. cap. 1.

DE PESTIS PRAEcautione.

¶ *Aeris ac morborum peſtilentium præcautio. Cap. VI.*

HVcuſque de morborum peſtilentium natura, formis, accidentibus, cauſis atque ſignis longiore ſed fortaſſe non ſatis idonea oratione diximus. Nobis, arbitror, ex facili venia dabitur rationem ineuntibus qua iidem caſus auertantur cùm nondum adſunt, & iam præſentium curatio perficiatur, quod dicendorum ordo ipſáque orationis ſeries poſtulare videtur. Verùm etſi horum vtriuſque eadem penè ratio, nec ferè alia curandæ ac præcauendæ peſtis præſidia perhibentur, quoniam tamē imminens malum arcere eiúſque vim inter-

cipere

cipere præstantius est, ac, vt videtur, factu facilius quàm iam prementi auxilium quærere, priore & ratione & ipsa natura loco capiti ipsique vitæ impendentis perniciei insidias vitare aggrediemur, curandi verò ratione pro ingenij viriúmque tenuitate obiter tantùm ac velut in transcursu tradita rem accuratiùs iis pertractandam relinquemus qui diu fœliciterque in hoc genere versati longa & magna experimenta agere melioráque omnia facere potuêrunt. Eandem porrò insistentes viam προφυλακτικὴν persequemur qua & anteà semper vsi fuimus: ac priore loco pestilentis aëris tum vniuersi tum etiam particularis, deinde affectuum quoque pestilentium præcauendorum rationem inibimus. Et quoniam quidem omnis præcautio pendet è cognitione causæ morbum efficientis, hanc etiam dabimus operam vt suum cuique causæ viribus iisdẽ remedium opponamus: siquidem τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, inquit Hippocrates.

Gal. comm. 22. sect. 2. aph.

Lib. de flatibus.

Ergo summæ causæ quam remotam antè appellari voluimus (iræ inquàm in sceleratos mortales diuinæ) opponemus non thura, non hostiam aut donaria munerávе preciosa, quæ omnia mortalia sunt: sed morum emendationem, assiduas piorum hominum preces, ieiunia, quibus Deus ipse placetur qui celeriter placari præcipit, quíque à se vno nõ aliunde peti expectaríque omne au-

Primariæ pestis causæ opponenda præsidia.

Psal.50.c.15 xiliũ oportêre monet his ferè verbis: *Inuoca me in die afflictionis & eripiam te: ita & gloriam meam amplificabis*. Quòd si aliis in ærũnis, hoc maximè in morbo obseruari debet illud: qui quidem vt è cœlo ac diuinus est, ita & Dei misericordis opem vnicè expostulat. Nec verò ipse pietatis Author ã immitis est hominum cõtemtor, laborantibus vt auxilium deneget. Quin summa illa mẽs æternáque Maiestas ante secula de rebus creatis ita disposuit, vt quæcunque hodie vbique gentium ac locorum fiunt accidúntve sint ipsius æterna decreta non nisi euentu ipso perspecta mortalibus. Docent hæc nos vt historiæ vetustæ ita & experimenta quotidiana, dum tolluntur hi, seruantur illi: pestis incipit ac desinit prę scriptis ab eo ipso momentis cui omnia sunt in manu fuerúntque semper. Vidimus superiore & hoc anno tum puerulos, quos cum illigatis peste conuictum habentes Deus vnus præter opinionem ab omni periculo sartos tectósque tutatus sit, tum & infantes quos recèns ex matribus dũ animas agerent prognatos saluos & incolumes idem ipse pro singulari sua bonitate cõseruauit. Obseruatum etiam à quibusdam scimus Niuioduni ad lacum Lemanum, quum hæc scriberemus ante dies plùs minùs quindecim partum recèns in lucem editum matre dũ eniteretur peste sublata, qui (quod in admirandis posuerim) nul-

lius

liusdum nutricis admotus vberibus Dei be nignitate dies aliquot vixit ac etiamnum ho die, arbitror, communi victu ſuſtentatus ſupereſt & veſcitur aura. In ſumma penes ipſum vnum qui vitæ vtriuſq; author, mortalis verò huius cuſtos ad præfinitum tēpus exiſtit, vt ortus ita & omnium interitus eſt. Hanc mortem appellant, quæ quidem non tam vitæ finis eſt quàm beatioris alterius eiúſque ſempiternæ initium. Apud ipſum vnum vniuerſæ mortalitatis menſium dierúmque numerus ac afflictis in rebus præſidium. Quotieſcunque igitur miſeri peſtilentia aliáve calamitate conflictamur, ad eū qui parens eſt omnium confugere, illi obtēperare, illum ſolum colere, morum emendatione ſeriáq; & aſsidua inuocatione, cōſtanti atque immota fide ipſum placare nunquā non debemus. Vt enim impietatis omnis ac facinoroſorum hominum vltor eſt iuſtiſsimus, ita & ſupra modum humanum miſericors, & ita miſericors, vt quos ſceleratè aut etiam negligentiùs factorū pœnituerit quibúſq; anteacta vita diſplicuerit, iis ſe parſurum iam olim pollicitus ſit. Sexcenta ſacroſanctis in Scriptis exempla ad imitandum habemus, imprimis verò Moſem & Aaronē quos pro Iſraëlitico populo in peſte admodùm graui deprecātes Dominus exaudiuit. Item & Ezechiam regem, qui cùm lethali morbo correptus eſſet, & Eſaiæ Prophetæ

Num.ca.16.

2.Reg.c.20.

vaticinio mortis nũtiũ accepisset, tãdem ad preces conuersus non modò valetudinem firmã, sed & vitæ ad annos quindecim prorogationem ab immẽsa illa benignitate impetrauit. Diuina eadem benignitate momẽto sopitum est Patrũ memoria multò grauissimum flagellum in ipso statim temporis articulo quo Dauid & pœnitentiam agere & verum Dei cultum instaurare cœpit, ardentibúsque precibus se suorúmque incolumitatem culpæ deprecatione ipsi commendare. Hæc Patrum exẽpla & quæ hîc nobis in dies spectanda proponũtur multitudine innumerabilia documento sunt incolumitatem & ægritudinem, vitam, mortem, mensiũ horarúmque humanæ vitæ numerum ei in manu esse soli per quem res creatæ in lucem editæ spirant, augentur, gliscunt, subsistunt: ac proinde liberationem, in diuersis, è morbis recreationem ac salutem non nisi ab illo vno petenda expectandáque esse. Res enim ita habet, vt quo modo malorum omnium initium incrementáque vltore Deo peccatum nobis inuehit, ita & eodem pacato exitum miseriarúmque finem morum emendatio. In summa Deus vnus vitam hãc tueri aut eandem, cùm vult, repetere suo iure potest qui eius ceu pecuniæ solam dedit vsuram. Ac profectò Christi sacris initiatos impietatis suæ pudêre debeat, nisi tanquam sacram ad anchoram ad ea auxilia confugiant

2. Sam. 24.

giant

giant, quibus ſalutem publicam regionibus totis nec iis paucis reſtitutam eſſe teſtãtur prophanæ hiſtoriæ. Auicennas etſi Chriſti nomen nunquam profeſſus viam tamẽ ipſe quaſi præmonſtrauit, vt qui Diuinam iram non niſi votis, conceptiuis ſupplicationibus atque libationibus placari demulceríve poſſe palàm aſſeruerit, ſuperſtitioſè quidem ceremoniis id aſcribens, quod Chriſtianæ diſciplinæ fautores iuratiſsimi animæ pœnitenti tribuêrunt. Meritóque Meſuæus vnum agnoſcit Deum, qui & pręſentes morbos curare & futuros præcauere ſoleat & poſsit. Ipſe quoque Liuius peſtis vt arceretur placandos deos tradit in libris fatalibus inuentum eſſe. Denique Galenus & ea ſentit quæ ſua ætate probabantur in vulgus, & hauddubiè in ea eſt hæreſi vt de morborum peſtilentium tum præcautione tum etiam curandi modo deos conſulendos & ipſe exiſtimauerit: ratus nimirùm humanas opes etiamnum ampliſsimas tenuiores & infirmiores eſſe quàm vt è cœlo inflictos morbos auertere, mitiores leuioréſve facere vlla quacunque ope poſſent. Hæc Veteribus ratio fuit, qua pro peſtilentia aut morbo alio grauiore expiando vrbium expiationes fecêrunt anniuerſarias & (quod ſeculis omnibus deteſtandæ impietatis exemplum eſt) barbara planè immanitate homines humana corpora diis ſuis, hoc eſt, veteratori diabolo im-

in Metaph.

1. Epidem.

Decad. 1. lib. 5.

molarunt. Eæ hostiæ Græcis καθάρσιοι seu φάρμακοι, Latinis piacula dicebantur. Ex his (proh dolor) non parùm multos in morem victimarum redimitos in mare precipitarũt, Neptuno imprimis sacra facientes, additis solennibus hisce verbis: περίψημα ἡμῶν γένȣ καὶ σωτηρία ἤτοι ἀπολύτρωσις. Hanc viam secuti Athenienses alioqui docti ignoto Deo Europæ, Asiæ & Africæ aras extruxerunt, arrepta occasione ex grauissima insolentíque illa peste cuius meminit author historiæ Græcæ princeps Thucydides, aut ab ea lue mortifera quam Epimenides ex insula Creta accersitus compescuisse fertur. Tãtum enim ac tam graue malum ab ira deorum alicuius profectum rati, ita numen ipsum placandum censuerunt à quocunque illud esset immissum, quasi quò minùs honoris ipsi anteà fuerit, eò grauiorem pœnam exigere, hoc est, peste ipsa qua grauius aliud nihil est, cõtemtum sui vlcisci voluerit. Id genus plurima sæuiente peste tentarunt etiam à Deo auersæ gentes idololatræ, reque sperata sunt quandoque potitæ, Deo vero qui non nisi vnus fuit vnquam ac ne esse quidem potest impietatis merito vim errori sug gerente. Ita Valesius quidam Romanus lares familiares de liberorum ad Medicorum vsque desperationem peste laborantium salute consuluit, illorúmque responso vbi paruit, liberi non modò è tam graui morbo recreati,

Suidas & Nicolaus Leonic. lib. de vera hist. 3. cap. vlt.

Lib. 2. belli Peloponn.

Diog. Laer. lib. 1.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

recreati, ſed & penitùs liberati fuiſſe dicuntur. Sic Roma triennio continuo vexata peſte non aliter (ſi fides habetur hiſtoriis) priſtinam ſalubritatem recuperauit, quàm iuxta Sibyllina oracula accerſito ab Epidauro angue quem ipſi Epidaurij in modũ AEſculapij venerabantur, qui quidem anguis fertur aduentu ſuo tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, illicò diſpuliſſe. Hoc exẽplo Romam rerum olim. dominio gloriantem quis non videat Satanę præſtigiis mancipatam? Non diſsimili cõditione cauſáque ſunt qui etiã hodie ſub idololatriæ iugo verſantur & multitudine innumerabiles & locis infiniti, dũ deteſtãdo non minùs errore, cæcitate fortaſſe maiore numinibus aſcriptos Diuos Sebaſtianũ & Rochum tãquam ἀλεξικάκυς inuocant, colunt iíſque ſupplicant, quò peſtis periculum auerruncent. Sed hæc quidem hactenus, ne videar in re non dubia teſtibus vti minimè neceſſariis. Illa pauca eáque in ſpeciem leuia, ſed tamen diabolicarum præſtigiarum exẽpla cùm mortales alíos tum vel maximè Chriſtianos diffidentiæ atque impietatis reos peragunt atque cõuincũt niſi Deo his in morbis gloriã omnem tribuant, ac ipſius miſericordiæ fiduciam omnem adhibentes ab eo vno vnicum ac ſupremum auxilium expectent: denique preces dictante Spiritu ſancto conceptas horum morborum præcautricem cu-

Val. Max. lib. 1. cap. 8.

randíque rationem multò tutiſsimam eſſe certò credant apertéque confiteantur. Nec verò non animaduertere arbitror Medicos (quo ex numero ventris & gloriæ animalia ſecludimus) veneni perniciem his in morbis ſæpenumerò latere tantam, quæ artis & humanæ induſtriæ præſidia prorſus omnia reſpuat. Hæc pronuntiata nihilominus in contemtum accipi nolimus aut remediorũ, quorum vſus & natura ex Deo ipſo eſt, aut artis planè diuinæ quæ contraria pari ſaltem facultate contrariorum eſſe remedia docet: ſat admonuiſſe rati ab vno atque eodem vltore quidem malum omne, propitio verò ipſum mali remedium exiſtere, ſapientibúſque mortem metuendam non eſſe, quæ propter incertos caſus quotidie imminet & ob vitæ breuitatem longè abeſſe nõ poteſt. Et certè quidẽ Chriſtiana pietate inſignes quíque ſoli ſapientiæ veræ titulo iure gloriari poſſunt quis dubitet pacatè moderatè ac planè requieto laturos animo quencunque caſum Deus inuexerit? imò potiùs quis neſciat vltrò eius voluntati obtemperaturos qui nihil niſi bene & cum electorum ſuorũ ſalute coniunctum decreuerit vnquam? Siue igitur nos hîc in officio manere voluerit, ma nendum: ſiue ex hac nos ſtatione ad ſeſe vocauerit, emigrãdum illáque Apoſtolica ſententia perpetuò tenenda memoria: ὅτι Εάν τε ζῶμεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν τῷ Κυρίῳ

Paul. ad Rom. cap. 14. verſ. 8. & 9.

Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν. Εάν τε οὖν ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ Κυρίου ἐσμέν. His verbis admonemur nos mortales nõ eſſe, vti neque Chriſtus ipſe, poſteaquàm is de morte triumphauit. Nec enim homo is eſt quem exterior forma declarat atque circũſcribit quíq; digito ipſo demõſtrari poteſt, ſed cuiuſque anima (pars totius præcipua) is ipſe eſt. Hæc ipſa corporeis ſoluta vinculis adeóque liberior certam in cœlo ſedem habet Chriſti eiúſque electorum propriam, in quam è terris velut in domicilium ſuum perennis futura ſubuolat. Sed tandem, quoniam vt animo ita & corpore conſtamus, & ipſa corpora mortalitate depoſita ſummam adepta gloriam eôdem loci Chriſto capiti tandem aliquando coniungentur.

Hactenus arcendæ peſtis rationem attigimus eam quæ & præcipua & planè diuina eſt. Iam phyſicas ab eodem rerum Opifice in hominum ſolatium ſuppeditatas aggredimur. Offuſum inſpiratúmque aërem in cauſis peſtilentim morborum anteà tradidimus animantibus aliàs aliis venenatam perniciem intuliſſe, idque ἐμμέσως vel ἀμέσως contracto vitio: & ἀμέσως quidem aliàs ex diutina loco aliquo concluſione, interdum ex æſtuoſis Auſtri perflatibus aut vento alio peſtilenti ex loco aut alioqui graui ſpirante, aliàs omniúmque maximè à peſte laborantium expirationibus. Hæc tam grauia

Præſidia phyſicis peſtilentiæ cauſis opponẽda

pericula vt & arceas & abigás, aër quærẽdus aut certè procurandus arte apertus, liber, ſalubris omníque inquinamento vacuus. Dãda igitur opera eſt, vt ædes priuatæ pariter ac publicæ aëri non ſatis peruiæ feneſtrentur, iiſque per frequentiores ianuas cœli ex parte ſalubriore ſpiramentum detur. Cœnacula, cubicula, arcę, abaci, pinacothecæ & ſi qua præterea diutiùs obſerata fuêre aliquoties quotannis reſerentur: intùs concluſa repoſitáque aprico aut Aquiloni expo-nantur ſedulò diligenterque euentilanda. Flantes à cœli Meridionali parte venti quacunque ope excludantur, iiſque tum ianuæ tum feneſtræ & ſi qua præterea ſpiracula ſunt obſtruantur: contrà quæ Orientem Solem reſpiciunt aut ad Septentriones ſpectant, ab iis partibus ſpiranti auræ aut aëri alioqui ſalubri pateant: ita tamen vt ſi quando inferioribus ex cauſis peſtilentiæ metus eſt, neque ſerotinus neque meridianus aër, neque matutinus etiam niſi Solis radiis priùs colluſtratus ac nocturno vapore inquinamentóque perpurgatus recipiatur. Sic eſſe faciundum declarauit olim M. Varronis excellentis prudentiæ viri conſiliũ. Nam cùm Corcyræ exercitus eſſet, eſſet & vniuerſa claſsis, ac ædes propè omnes partim ægrotis repletæ viſerentur partim funeribus, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, obſtructis è diuerſo peſtilentibus ianuíſque

in locum salubriorem commutatis comitatum suum ac familiam vniuersam incolumẽ reduxisse fertur. Aliud fuit Empedoclis in peste machinamentum, qui obtentis ac circum Agrigentum obductis asininis pellibus ventorum ciuitatem infestantium vim ita propulsasse creditur, vt κωλυσανέμου cognomen inde meruerit. Ergo vitandus imprimis Auster cæteríque vtrinque à Meridionali parte venti: Aquilo contrà nullo non loco ac tempore admittendus, vt qui velut saluberrimus cœli scoparius etiam inducta serenitate aëris inquinamenta grauitatémque omnem lõgè latéque depellat, quíque, vel Galeno teste, omnia ferè à putredine q̃ diutissimè sarta tecta cõseruet. Eodem modo de auris à Septentrione aliis & iudicandum & faciendum, vt quarum impetu víque maiore spirantium pestilentiæ ipsa semina summota, fusa profligatáque fuisse non rarò sit animaduersum. Quòd si ex inquinatorũ hominum expiratione contagióve pestilentia pertimescitur, quacunque ex causa contagium his accesserit siue intrinsecus siue etiam extrinsecus, vti cùm ab aëris vitio cõtractum aut pestilentibus è locis importatũ est: harum ipsarum causarũ remotione protinùs & ipsa pernicies intercipietur ac inhibebitur. Et quoniam præclarè à Platone scriptum est salutem populi summam esse legẽ, Magistratus quàm diligentissimè pro-

Diog. Laer. lib. 8.

Auic. 2. 1. doct. 2. cap. 8. & Auẽzoar 3. theisir tract. 3. cap. 1.

Lib. 1. tempẽram.

uidebit, inquinatis vt certus locus infrequens & à bene valentium consortio remotus assignetur: sed in ea tamen solitudine insit forma ciuitatis, vt communia pericula depellantur, mutuis casibus succurratur, omnibus cautè prospiciatur, denique homini ab homine necessaria quæque ceu diuina quadam virgula subministrentur. Hæc enim ægrotantium vitæ pars neque publicis neque priuatis in rebus vllâ minùs humanitatis officia desiderat. Nam vt quisque maximè opis indiget, ita ei opitulari par est: quam ad rem statui oportet quos vocatio artis & industriæ aut propinquitatis ratione intra metas officij continere debet. Ciues reliqui illis decedant, aditũ sermonémque defugiant, nequid ex contagione incõmodi detrimentíve accipiant, néve tandem latiùs *dira per incautum serpant contagia vulgus*. Quæ itidem pestifera lue obsessis vsui fuerint, incolumibus ipso vsu periculi plena semper fuisse obseruatum est. Huius generis sunt vestes omnes & alia quæcũque ad corporũ tutelam pertinere visa sunt: culcitræ, puluinaria, stragulæ, linteorum omne genus, adhæc lanicium & tela omnis. Quotquot itaque pestilentiæ semina ceu infectorem succum bibere aut diutiùs conseruare consuêrunt, ægrotantibus aut nutu Diuino persanatis aut peste sublatis illicò accuratiùs euentilanda, aut frigidæ ac fluẽtis aquæ du-

dum

dum immergenda. Quod enim plerique faciũt, nolim indiſcriminatim ignibus cremari quæ hominibus imposterùm neceſſaria vſuíque deinceps apta eſſe poſſunt. Peregrinos recèns locis è peſtilentibus conuenientes in ciuitatem admitti recipíque cõſultum non eſt: neque adeò tutum cum iis verſari communitérque ac promiſcuè habere cõmercia. Tutius fortaſſe futurum exactis diebus aliquot, ne dicam dierum hebdomadis, quod ferè plerîſque locis aſſolet, ſed noſtro rectéque ſentientium omnium iudicio durius quàm ex æquo & bono. Nec enim vero propinquum eſt, barba capillíſque detonſis ac veſte omni ſubinde permutata (quod nec vſquam nec vnquam non faciundum eſt) venenatam materiam in viuenti corpore latêre tandiu poſſe effecto nullo. Tantiſper enim dum innati caloris vi corpus ſubſiſtit, nulla intermiſsione cum veneno tanquam cum hoſte infenſiſsimo pertinaci maximè pugna certare ſit veriſimile, quoad venenũ ipſum planè propulſarit & euicerit, aut extincto ipſo animal intereat. Nec verò audiendi qui τῶν ὑδροφόϐων virus contrà obiiciunt: hi enim in opinionis incertæ tutelam cùm ſimilia velint, ſanè quàm diſsimillima inducunt. Nam vt demus illis rabidi canis morſum plures nõ modò dies, verumetiam menſes & annum quandoque integrũ clàm in corpore delitеſcere, priuſquàm longiùs

Peſtilens virus diutiùs corpore circunferri nequit.

latiúsque serpat in partes principes, huius tamen atque illius diuersa est substantia nec sedes eadem. Huius enim vis hebetior ac in crassiore densioréque materia inhærescens: qua ex causa cohibetur, nec nisi natiui caloris eiúsque copiosi magna vi excitatur: quin & ipsum vt imbecille admodũ ne rara quidẽ epidermis altiùs penetrare sinit, nisi fortè vel scissa vel alioqui lacera. Illud contrà multò tenuius, acrius, eiúsque vis & efficacitas ea vt non modò ἐπιδερμίδα, sed & cutem ipsam quantumuis validam ac densam cunctã ocyssimè permeet penitúsque intrò subeat multò vehementiore atrocioréque offensione atque cruciatu. Hoc breui atque ex facili sese quoquouersùm insinuat: illud segnius nec nisi interposita mora longiore suum tandẽ virus declarat suísque sese prodit symptomatis. His rationibus efficitur, vt pestilentiæ seminarium posse quidẽ imprudentibus nobis corpore circunferri diffitendum non sit, at aliquantisper duntaxat, non item pluribus dierum hebdomadibus, nedum tanto tẽpore quanto ex rabidorum morsu venenum.

Porrò vt vnde egressa est eò nostra se referat oratio, quandoquidem ἐμμέσως etiam aër inficitur infectúque ceu colore quodam imbuitur, cœlitùs nempè aliàs, sed concurrentibus nonnunquam causis inferioribus vt sunt ex aquis terráve sublati halitus, absque

que his etiam interdum: alias infernis tantùm ex causis. Hæc certè quidem labes maximè cùm aëreæ eiusdémque mediæ regionis afflatus turbidus ac nubilus calidúsve simul & humidus est, multóque magis si fuerit hyemalis tempestas, crebris luculẽtisque ignibus atque pyris vicatim, compitatim & priuatis in ædibus vbique accensis arcenda. Sic enim emendandus atque perpurgandus videtur aër circunfusus Medicinæ principis Hipp. exemplo, qui luem ex Aethiopia Athenas inuadẽtem haud aliter depulisse fertur. Idem & ante ipsum Empedocles Agrigentinus atque huius popularis Acron Medicus in Gręcia præstitisse dicuntur, idque eadem planè ratione. Idonea verò ignibus eiusmodi materia ex lignis tum natura tum diuturna repositione siccissimis iisq; quernis vtplurimùm atque faginis, nunquã non additis quæ suauissimum spirent odorem: agallocho quam xylaloën vocant, cedro, pinu, abiete, cupresso, iunipero cũ suis baccis, libanotide qui nobis rosmarinus est, tamarice, sabina, vitium palmitibus, olea, fraxino, lentisco, lauro potissimúmque Delphica, cuius quidem folia trita olfactáque subinde pestilentiæ contagia prohibere tradidit Plinius, tantóque magis si & vrantur. Plinij sententiam confirmat & Herodianus, quo loco ad aëris cauendam contagionem valere asserit cùm odores laurorũ tum ipsarum

Gal. de ther. ad Pisonem.

Aet. Tetr. 2. sect. 1. cap. 94. & Oribas. lib. 7. cap. 21.

Ignes salubres.

Lib. 23. ca. 8.

Lib. 1. hist.

amœnitates vmbrarum. His quoque nec ſine fructu velut ignis fomenta hæc adiici poſſunt: ſaluia, thymus, hyſſopus, ſcordium, thymbra, ſampſuchum ſiue amaracus, calaminthe, chamæpitys, ſtoechas, ſerpyllum, pulegium, polium, abſinthium nominatímque Ponticum, iuncus odoratus, vulgaris lauendula, menta, ſiſymbrium quod Officinæ balſamitam nuncupant, μελισσόφυλλον, artemiſia, chamæmelum, ocymum, origanũ, ex diutina repoſitione ſiccata omnia. Ex Corticum verò genere regiæ planè magnificentiæ peculiare cinnamomum, caſia lignea quæ & aromatica, vulgus *canellam* nominat, thuris atque citrei mali cortices: poſterior hic ſupra hominum fidem noxam aeris omnẽ emendat, vti ſcripto mãdauit Auicẽnas. Salubrior item odoratiórque ignis ex radicibus inulæ, acori, iridis, coſti, galangæ, cyperi, zaduræ, aſari, zingiberis, iunci odorati, calami aromatici quem Hipp. μυρεψικὸν, Plutarchus Arabicum, Celſus Alexandrinum cognominat. Huc pertinêre vidẽtur arborum ſtirpiúmque odoriferarum lachrymæ: in quibus ſunt abietis, pini, laricis reſinæ: lacca, ſtyrax calamites & laſer Indicum: hoc aſam dulcem vel aptiùs odoratam Officinæ, Rhaſis *altith*, Græci ὀπὸν κυρηναϊκὸν nominant. Eôdem referas terebinthi reſinam, thus maſculum, myrrham, ladanũ, bdellium, ammoniacũ, Pharmacopœorum belzu-

Lib. de peſte.

belzuinũ quod Veterum Cancamũ esse Mõtanus existimat, aliis id esse creditur quod *animæ* Lusitani nuncupant. His attexere placet resinam lentiscinam quę & mastiche dicitur, & præterea quotquot ex hisce omnibus conficiuntur trochiscos, suffitus ac Cyprias auiculas: crocũ itẽ, caryophyllos, moschum, mel & nucem myrepsicam: quibus profectò omnibus gratia non mediocris accesserit superfuso odorato oleo vnguentóve pinguissimo. Hæc enim & eiusmodi alia omnia, vel Herodiano ipso teste, non modò aërem odorata exhalatione puriorem suauiorémque reddunt, sed & meatus humanorum sensuum suis odoribus ita occupant vt ne τὸ φθινῶδες τοῦ ἀέρος admittant: & si maximè admiserint, id tamen maiore quasi vi longè superent. Cæterùm Maiorum ac nostra quoque sententia frequentium eiusmodi flammarum vi & exiccatur aër & si quid alienæ qualitatis inerat prorsus amittit, quo fit vt si qua etiam inspersa forent contagij semina disiiciantur, dissipentur omninóque extinguantur: & (quod in salubribus iure posuerim) pestiferis è terra halitibus flãma ipsa interceptis via præcluditur. Ita & residũ ac alioqui putrentium aquarum vapor declinatur, retunditúrque graueolentia omnis: vsqueadeò multiformiter ignes auxiliantur. Cœlo tamen æstuoso, maximéque si pestis aliunde quàm Solis obscuratione contracta

Lib. de feb. pestil.

Lib. 1. hist.

Ignium efficacitas.

videatur, non tam certũ nec adeò frequens ex iis ignibus auxilium. Sed hæc constitutio materiam aliam, alios odores postulat. Quare in eorum vicem quæ hactenus commemorata sunt ignibus iniicienda potiùs frigida, qualia nimirùm sunt malorum ac pyrorum, mali punici & cotonei putamina, rosæ, violæ, santalorum genus omne, caphura, myrtus, coriandrum præparatum, succinum, citrij mali & oxylapathi semina. Ad aëris verò grauitatem arcendam & vt malignitas tollatur, & vt salubrior temperies aëri concilietur: posca primùm, deinde (si vis maior quæritur) rosacea modico aceto perfusa seu solum seu tabulatum conspergi vtile. Vtilior autem fumus vaporve ex aceto igne candenti ferro laterive superinsperso. Quòd si æstuosum planè anni tẽpus est vel sydus autumni flagrantissimum, haud abs re fuerit stillatitiis aquis citrij, myrti, florum sambuci, rosarum, violarum, nymphææ ædium solum parietesque vicorúmque pauimenta ceu rore quodam aspergere & irrorare, simul & ipsas rosas, violas, nymphæam, ramos myrti aut salicis vitiúmque pampinos, rubos, summos arundines, iũcos, cotoneæ mali, vlmi, quercus atque populi frondes humi consternere.

Quòd si post stragem insignem aliquam aut cladem acceptam cadauera hominum pariter ac iumentorum aliarúmve animantium

tium

tium inſepulta iacent, ne mora longiore fœtorem perniciémque aëri accerſant, ſedulò prouidendum vt protinùs altiùs effoſſæ humo mandentur, omniúmque ocyſsimè quæ peſte extincta fuiſſe conſtiterit. Id verò non in vrbe oppidóve faciendum, ſed obſeruanda lex, quæ vetat etiam mortuum hominem in vrbe ſepeliri aut igne cremari. Ciuitatis prætereà vici & plateæ omnes, cortes etiamnum priuatarum ædium, denique oppidum ſigillatim totum, pomœria item aliáque extrinſecus circum oppidum vrbémve ipſam omnia, adhæc pauimenta ipſa cubiculorum accuratè ſedulóque ac ſi non quotidie aliquoties certè ſingulis hebdomadibus euerrenda: & quiſquiliis exportatis ac ſordium toto genere deterſo expurganda, necunde vaporis, halituum aut totius etiam aëris inquinamentum mortalibus offuſum peſtem inuehat. Ad eandem rationem ſummouendi peſtilentiæ pabuli aliorúmque ex aëris infectu morborũ pertinere videntur ſemota ſterquilinia, putrentium olerum acerui, ſtramina, è lixiuio cineres, ſanguis omnis cuiuſcunque ſit animantis, excrementorum genus omne, cœnum & ſordium in viis publicis aggeſtarum colluuies. Ea enim omnia & ſiqua præterea ſunt eius generis, foràs procul exportari debere notius eſſe arbitror quàm vt admonendum ſit. In animantium genere hirci ac capræ vt quibus ardentior

Politica alia peſtem ſpectantia præcepta.

Cic. lib. 2. de leg.

anima, ſuillum pecus omne, cuniculi fœcunda præ cæteris animalia, Indici pauones ſeu gallinacei, anſeres, anates, pipiones, ipſi denique vigiles nocturni galli gallinæque intra mœnia ne alantur. Linum verò, cannabis atque corium omne ſtagnis fluentíſve non niſi procul à ciuitate macerentur. Cloacæ, ſentinæ, colluuiones & lanienæ ciuitatis regionibus iis ædificētur, vnde in profluentem riuulúmve aliquem liberrimè corriuentur atque dilabantur. Ciuitatis totius pauimentum accliue ſit oportet, necubi aquæ colluuies reſidêre permittatur: atque in quibus pauimentis erunt fortè lacunæ, protinùs replendæ ac ſolo adæquandæ. Coriarij, alutarij, pelliones & quotquot alij coria concinnant, opus ſuum in ciuitatem ne priùs inuehāt, quàm planè perfectum elaboratúmque ſit. Ex lanicij etiam & telarum infectu vti & ex ceruiſiæ materia tanta plerunque grauitas eſt, vt non in ciuitate, imò ne intra pomœria quidem ipſa opificibus eiuſmodi locus eſſe debeat.

At verò quando non ſemper ab externa cauſa, ſed & intrinſecus quandoque (neque id rarò) contagium proficiſci videtur, ne (quod ex facili fieri videmus) humores impetúmque cientes ſpiritus, contenta dico ipſa, his annexa quoque continentia venenati quiddā peſtilenti qualitati quàm ſimillimū in ſeſe recipiant, cauendą modis omnibus quæcun-

quæcunque putredinem ſuapte natura corporibus accerſunt : ac imprimis ſyderatæ fruges ſemiputriaque legumina ne in ipſum quidem oppidum admittenda. Sunt & noxij ſed prioribus minùs ὡραῖοι fructus omnes, omniúmque maximè ante iuſtam maturitatem collecti: atque adeò horum vſu etiam interdicẽdum ratio quidem ipſa præſcribit, at in annonæ caritate id plerunque fieri non ſinit ipſa neceſsitas. Eſt in Magiſtratus officio & hoc, prouidêre cauereque ne volatilium quadrupedũ piſciúmve carnes ex diuturna nimiùm repoſitione aut inepta corruptæ aut fracidę, néve morticinæ ciuibus vænum exponantur. Hæc & alia multitudine innumerabilia ad aëris præcauendam peſtilentiam neceſſaria ſunt, vndecunque & quacunque tandem ratione ventura metuatur. Cognita ſiquidem peſtilentiæ cauſa effectrice quid hominum induſtria præſidij adhiberi poſsit hactenus ſatis ſuperque demonſtrauimus, vt impræſentiarũ pluribus opus non ſit. Reliquum eſt, vt ſæuiente lue teterrima quánam ope clàm ac velut ex inſidiis vndique adoriri ſolitam peſtilentiam à capite vitáque propulſare quiſque poſsit, doceamus.

Peſtilentiũ morborum præcautio.

Lib. de nat. hum. 2.

In tam graui caſu è Sapientibus plurimi cum Medicinæ principe Hipp. cœli ſolíque mutatione auxilium nullum præſentius certiúſve inuenêre : quod vnum commune eſt

6.epid.5. diuturnorum morborum & pestis, Hipp. ac nostra quoque sententia. Sed hæc adhibenda cautio, ne præsidium in fuga totum statuatur, quasi salus inde tota penderet. Quid enim est quòd sperent mortales suis se subterfugiis irati Dei digitum euadere conspectúmque fugere posse? Imò verò quis hoc ipsum vel cogitare audeat, nisi immensitatis Diuinæ prorsus ignarus: quíque nesciat vt anteaquàm hæc rerum vniuersitas extitisset, sic & nunc immensum atque infinitum Deũ eam implere infinitatem quæ mundi conuexum extimámq; cœli faciem excessit? Adeò putandum non esse ait Plato, cum hoc concreto caducóque mundo quem crearit ipse tanquam in ergastulo esse cõclusum. Deum igitur qui nusquam non sit, qui sciat, videat audiátque omnia quis effugiat? *Quò proficiscar*, inquit Psalmographus, *à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlos, illic tu es: Si descendero in infernum, ades, &c.* Quid ergo? Latebris non est captandus angulus, sed de pace cũ æterno mundi Patre confidenter agere, ad eum vnum audenter venire, diu noctúque precari, in vota vocare eíque supplicare oportet: delictorum venia, malorum omnium depulsio ab eo precibus ac votis exposcenda qui vnus ἀλεξίκακος fuit, est éritque semper. Attamen nec malè consultum nec inutile videatur, si infirmioris naturæ homines quí-

Fuga præsidium.

Psal. 139. vers. 8. & 9.

que

que propemodùm metu ſunt exanimes cum gratiarum actione ſalutis illud perfugium atque præſidium, ſi quando Deus largitur, arripiant: ídque tum vti terrorem quem affert ſparſus de mortuis rumor effugiant & alioqui irrequietos animos ab omni inquiete & labore vindicent, tum vt ne ex vitiati aëris inſpiratu attractúve aut ex ægrotantium alitérve inquinatorum congreſſu contagionis diſcrimen incurrant. Tùm oportet, inquit Celſus, peregrinari, nauigare: & rectè id quidem, quando cœlum nuſquam perperam mutatur quod morbum creet. Sed in cauendo periculo iis rurſum hæc adhibenda cautio, ne dum ſibiipſis conſulunt eos quibus adeſſe quóſque charos habere tueríque debeant deſertos eſſe patiantur, velut obliti vocationis, quæ publici quidem muneris ratione Magiſtratum, Eccleſiæ Paſtores, ſtipendia publica merentes Medicos pariter & Chirurgos & quotquot alij ægris opem & auxilium ferre ex officio tenentur: propinquitatis verò ratione coniuges, cognatos & affines meritò retinere videtur. Quorum verò officium nec priuatũ nec publicum quo detineantur vllum eſt, quíque ea conditione ſunt vt ſibi fuga conſulere integrum iis tutúmque ſit, his inquàm in ipſa fuga ſpectanda duo hæc: alterum, vt cœlum ſalubre ſolúmque deligant non modò non inquinatum, ſed quod vel omni peſtis ſuſpicione ca

reat, ſitq́ue à graui cœli ſtatu quàm diſiunctiſsimum, necnon & ſalubrium ventorum flatibus expoſitum quacũque ex cœli parte ſpirent. Nã vbi aſsiduus perenníſque eſt ventorum afflatus, nec aër ipſe corrũpi, nec corrupti tum externi tum interni vapores tam facilè ſuam vim malignã exerere diutiúſve retinêre poſſunt. Inde verò de reditu in priores ſedes priùs cogitandum non eſt, quàm morbi tota vis diſsipata extinctáque eſſe videatur. Alterum in ipſo itinere conficiendo cauendum hoc fuerit, ne magnis itineribus néve per cœlum peſtilens ſanis firmioribúſq; etiam ipſis ſua grauitate moleſtum ſeſe proripiant: ne ex viæ labore defeſsis frequentior ex neceſsitate infecti vitioſíque aëris tum inſpiratio tum toto corpore attractio contingat, fiátque tandem vt corporis tum ſuperuacanea tum ipſi ſucci emoti ac velut furibundi acriùs excandeſcãt perniciemque ſibi aſciſcant omnino præſentiſsimam. Porrò vt anni cœlique tempeſtate graui ſuæ ſpontis hominibus, quibus mora neque domeſticis neque publicis ex rebus vlla eſt, ſummæ nũquam cum ſapientia cõiunctæ temeritatis fuerit, loco nobili, celebri vrbe atque copioſa, ſed tamen peſtilenti ſedes ſibi fixas habere, ita cuicunque fugæ facultas non eſt vel quòd eum ipſum in publicis priuatíſve rebus officium domi contineat; vel quòd res tenuis & anguſta commodè

commodè cum familia ſuis è ſedibus emigrare prohibeat: huic certè ipſi quæ ſit tum in victu cultúque, tũ in antidotis tenenda ratio neceſſaria qua adhuc integer vtatur cùm tamen ſecurus eſſe non poſsit, quoniam tẽporis & loci huius eſt, recenſere non grauabimur. Hoc loco fateor equidem cuius vita valetudóque in ancipiti adhuc eſt nil minùs quàm ægrotantis, ſiue alexipharmacis ſiue accuratiore victu opus eſt, nunquam non habendam rationem temperamenti, ſexus & ætatis: victus præterea rationem, vitæ genus, tẽpeſtatem anni, regionem, cõſtitutionem corporis atque conſuetudinem in conſilium adhiberi oportere. Sed quia horum omnium exacta accuratáque conſideratio contemplatióque breuiore enchiridio ſigillatim vt comprehendatur ex iis eſt quæ fieri omnino non poſſunt, eam præſentis Medici prudentiæ iudicióque permittemus. Quid verò ſub peſtifero cœlo ſecundam valetudinem, quid aduerſam faciat, quid maximè ſequi quídve cauêre conueniat, quantũ ſucciſiui temporis anguſtia aut neceſsitas patietur, breuiùs quàm res tãta dici poſsit, demonſtrabimus.

Omnis perniciei peſtilentis arcendæ ratio duplex: vna, vt externæ illius effectricíſque cauſæ vis infirmetur frangatúrque: altera ad patientis excipientíſve cauſæ (corporis dico) tutelam & δυσπαθείαν pertinêre

Arcendæ peſtilentiæ ratio duplex.

videtur. Ac causæ quidem morbi effectricis ac præcipuæ aut emendatio aut profligatio tota posita est in præceptis quibus rationē modúmque docemur, quo inquinatum aërē ad statum salubriorem reducere, eius venenatæ qualitati obsistere & ipsum auersari possimus, cauereque ne quo pacto vim suā maleficam corporibus imprimat. In eo genere accuratè prospiciendū, vt aër (quemadmodum ait Hipp.) ξενώτατος, hoc est à malefica illa pernicie longè alienissimus euadat. Parùm est autem aërem nobis offusum ab eo qui morbum inferre cōsueuit quàm alienissimum esse, nisi idem prætereà ab omni inquinamento vaporibúsve putrentibus & corruptis purus atque etiam odoratus placa neque salutaris existat. Sed quia teterrimi mali procreandi causa tota non est in aëris vitio, éstque rerum quoque infectarum cōtagium & perniciosum & exitiale, ab omnibus in vniuersum pestilenti è cœlo locóve asportatis quæque contagionis vim in se aliquam habent quàm maximè alienos esse nos oportet, pro comperto habentes vel solam rerum eiusmodi attrectationem esse periculi plenissimam. Corpora verò ipsa cùm periculi metus est præmunire atque aduersus contagionum seminaria obfirmare, ac denique ad repugnandū habiliora reddere consentaneū est. Erit autē id, si quæcunque ea suscipiendæ pesti obnoxia reddere aut

Lib. 2. de nat. hum. part. 4.

vires debilitare consuêrunt accuratè cauerimus. Imprimis igitur id præstandum ex Hipp. diuini consilio, vt quàm optimè spirent, hoc est quàm parcissimum spiritum extrinsecus in sese admittãt. Neq; enim cõmittendum vt contagij plus inspirando hauriant, quàm aut à se pellere aut euincere natura possit: contráque potiores semper sint oportet facultates venenata quacunque vi ac materia. Nec minus ex perspiratione periculum reclusis impendiò nimiúmque patentibus meatibus, vnde sæpe inopinata oppressio offuso aëre noxio totáque substantia hominis naturæ infenso sese vndique insinuante: eóque liberiùs quòd crebris foraminibus corpora spirituũ multa exhalatione soluta, eneruata proindeq; venenatę qualitati non satis repugnantia ex facili vincantur, cedant & externæ iniuriæ quasi manus dare cogantur. Quòd si peste iam occupatus vel halitu solo vel excrementorum expiratione etiam integrè sanos labefactat, mirúmne videri debeat habitum qui totus vndique perspirabilis est impetenti malo omni ex parte, ne dicã aperta fenestra, succumbere? Hos graues halitus, hæc tot tamque præsentia mala imminentia arcére soli ij naturæ, hoc est, Dei artísve beneficio poterunt, qui corpora ab excremẽtorum omni genere vacua custodierint mundáque conseruarint: quæ maiori sunt mole prædita ex-

Ibidem.

Gal. 1. de diff. feb. cap. 4.

tenuando vacuandóque minuerint, atque ex multis craſsíſve humoribus vaſorum atque adeò cutis ipſius meatuum obſtructiones expedierint, aſtrictiones immodicas frigore aut alia quacunque ex cauſa contractas relàxarint. Immodicas dico, quia cutis vniuerſæ foramina leuiter aptóque naturæ modo cogi denſioraque reddi, denique venarum ductus aſtringi ſatius eſt, ne tam facilè veneni vis in viſcera ipſa totique corpori communi officio inſeruientes partes inuadat. Quòd ſi verò primæ regionis impuritas ſuis ſe ſignis prodit aut venarum totiúſve corporis cacochymia ſubeſt aut plethora, hæc manus ope minuenda, illa medicamentis ex arte petitis ſeſe ſummouendam indicat. Antiquorum priſcæque Medicinæ leges hæ: quo loco ſancitum ab iis eſt, humidiora corpora exiccanda vtpote alioqui ad putredinem leui ex cauſa concipiendam propenſiora, ſicciorem verò intemperiem haud immutandam ſed ſtatu ſuo conſeruandam eſſe, ne qua fortè copioſioris frequentiúſque inſpirandi aëris neceſsitas inducatur, ac ne non repugnantes vincantur, quod perfacile eſſe vbique eſt creditum. Tandem & hoc vnum ſollicitè cauendum, ne qua vrgeat virium imbecillitas, & vt cor viſcus nobiliſsimum áliæque principes corporis partes roborentur, harum viribus & facultatibus auctis etiam nedum refocillatis

Gal. 1. de diff. feb. cap. 3.
Aetius 2. tetr. ſerm. 1. cap. 94.

aut confirmatis : eorum inquàm vſu quæ tũ calorem innatum augẽt, tum ſpiritus humidi primigenij natiuique caloris pabulum recreant & exhilarant, nec non & iis quibus ſubſtantiæ totius proprietate cordis roborandi vis ineſt. Tum hæc tum illa certè quidem omnia præſtabit is ad amuſsim qui vires labefactantibus, ſuccos vitiantibus aut iis quæ corpora rarefaciunt omnibus contrarias viribúſq; pares facultates dexterè, aptè conuenientérque oppoſuerit tum ipſa victus ratione, (quà vna appellatione ſex rerum non naturalium vſum more Maiorum complecti ſolemus) tum etiàm alexeteriorum vſu conuenienti & caſui cuique accommodato.

Si peſtem veterum falſa religio ad ſuos Deos retulit, & nos præceptis inſtitutíſque Chriſtianæ ſapientiæ imbuti ſceleribus atque impietati omni iratum agnoſcimus rerum omnium Parẽtem atque adminiſtrum, quis non videat immaniùs ſæuiẽte peſte ſolos eos in tuto eſſe qui pro irato placatum propitiúmque Deum habeant: ídque aut ἀμέσως inter ſexcenta moribundorum hominum millia, aut ἐμμέσως qui cauta victus ratione ſibi proſpexerint? Igitur qui Diuina benignitate corporum ſalubritates ita retinere cupiunt vt ne ſint communi aliorum cladi obnoxij, ſedulò prouideant vt quantũ fieri poterit in aëre verſentur haud quidem

circunſcepto iugis montium, haud cauis reſtricto anguſtiis, cœlo non paluſtri, nõ turbido aut caliginoſo: ab immotis & ſtagnantibus aquis loco diſiunctiſsimo, à fluminibus niuiũ copiã ſecũ trahẽtibus vtpote grauiorem craſsiorémve auram ſpirare conſuetis longiùs diſsito: è contrario fruantur aperto atque perſpirabili cœlo locóque, puro, ſincero quíque affletur Aquilonibus aut vento quouis alio qui ſit loco ſalubris. Aliis enim Zephyrus, vt Italis: aliis Subſolanus vt Gallorum nonnullis & Hiſpaniæ ſalubrior eſt. Quin & qui nobis peſtifer eſt Auſter, Africanis non parum multis ſalutaris exiſtit. Domus eligatur ſub eodem cœlo poſita, à ſordibus ſpurcitiáque omni, denique ab inquinamento & fœtore quouis longè alieniſsima, procul à carnariis piſcariíſve tabernis, ſterquiliniorum ſeu aggeribus ſeu alluuionibus, cloacis ac cœmeteriis. Domus ampla ſit, cœnationibus, cœnaculis, cubiculis neceſſariis atque elegantibus conclauibus variè diſtincta, quò fiat identidem ex loco caſu aut natura grauiore in ſalubriorem tranſitus atque mutatio: vt, ſi cœleſti ex cauſa peſtis oriatur, locis humilibus & lenis auræ nec æſtu aut moleſta Solis euerberatione concalfactis abſque ambientis iniuria deliteſcere liceat. Quòd ſi mali origo aliunde proceſſerit, in editioribus ædiũ partibus mora cõmodior. Lumina ac feneſtras Septen-

Auenzoar 3. Theiſ.

Septentrionem orientémve Solem ſpectare rerum naturæ periti voluêrunt, niſi ſiquando peſtifer inde halitus importetur. Rurſum & eorum ipſorum conſilium eſt, quoties è ſublimi peſtis origo eſt, matutinum veſpertinúmve atque etiam nocturnum aërem vt diurno potiſsimúmq; meridiano ſalubriorem excipi oportêre, ídque multò magis cęlo puro ac ſereno. Atque ij nituntur tum ratione, quia diurno calore Solíſque luce cōcitatum aëris vitium præſentius fiat, tum experientia rerum magiſtra, qua circa Meridiem potiſsimùm (ſi vnquam aliàs) nocentiorem ſyderum affluxum ſolitum diſpergi ſeculis omnibus cognitum compertúmque eſt: vt & illud, non minùs quàm auroram ſerotinúmque crepuſculum noctem (niſi fortè ſub πανσέληνον) perpetuò tutiorem eſſe, cœlo nimirum tùm craſsiore atque frigidiore: quibus rationibus ſyderum vires obtundi atque hebeteſcere conſueſſe à ſapientibus eſt obſeruatum. At vbi inferiore ex cauſa ſuborta peſtis eſt, non tutò nec impunè priùs intromittitur aër, quàm noctis vaporem, nebulas obſcurámque denſitatem Sol diſiecerit, diſcuſſerit atque conſumſerit: ferè ſiquidem in noctis ac matutæ vaporibus aër vt grauior ita & peſtilentior exiſtit. Sed hæc certè quidem omnia grauioris alienique aëris incommoda vix ſentiat ſi quis mane ac veſperi igne luculento aëris vitium

emendet aut ſparſis humi refrigerandi vi præditis: ſuffitibus item & odoramentis quę ſuapte natura propriáque vi ſint efficacia: nec priùs abſiſtat quàm artibus his aliiſve purior aër euaſerit, quod fieri oportere etiã anteà docuimus. Ac vt medicamentorum materiam obiter hic & velut in tranſcurſu attingamus, ſuffitus tum ex priùs commemoratis aromatis commodiſsimè fient, tũ è trochiſcis iis qui paſsim in pharmocopoliis parati væneunt, de gallia moſchata d. Meſuæi, de xylaloë eiuſdem, de alipta moſchata d. Nicolai, adhæc & quæ auiculæ Cypriæ dicuntur. Eſt & odorationi ſuus honos & fructus, eóſque ſibi bene conſulere putandum qui naribus & ori ſubinde obtendunt ſpongiolam aceto & roſacea vel ſolis vel admiſtione odorum aliorum ſuaueolentium imbutam. Nec minùs reficientur ſpiritus, ſi odoratus globulus ex antè memoratis calidioribus quidem in hyemem, frigidioribus verò in æſtatem efformatus perpetuò ita circunferatur vt illius vis odorandi inſtrumentum feriat. Nec nullo fructu feceris quod à Romanis in peſte imperante Commodo factitatum legimus, ſi vnguentis ſuauiſsimis nares auréſque opplens cor ab externa malignitate vindicaueris. Suauium ſiquidem odorum vi natiuus calor atque ſpiritus ſubſtantiæ quadam ſimilitudine reficiuntur & recreantur, ac velut exhilarantur

Herod. hiſt. lib. 1.

Auic. lib. 4. cap. de peſte.

tum

tum cor tum etiam pulmones. Diuerſo modo planéque contrario læduntur hæc ipſa graui tetróque odore inſpiratu perſpiratúve hauſto aut in ipſum corporis habitũ admiſſo: qua ex re ferè accidit, vt vitalis calor ipſáque adeò anima ceu hoſpes ab hoſpitio facultatibus interceptis abſcedere videatur. Hoc loco lubens in admirandis poſuerim Sarmatarum ruſticitatem ſordes ſordibus aliis elui poſſe credentium, dum canum aliarúmque animantium cadaueribus vicatim paſsímque proiectis conari videntur inquinatum aërem corrigere. Sed ea gens vel hoc vno rudis iudiciíque ac rationis expers. His nõ minùs qui in eodem caſu hircini lotij odorem, vt equilis alij, alij latrinarum commendant. Sunt & hac ætate hócque cœlo è vulgo plurimi, qui attritarum ſolearum ſuffitus, corij præſegminum vſtorum, cornuum oſsiúmque ſubuuidorum nidores eximium quiddam & ſingulare aduerſus peſtem præſtare putent. Sed ſordibus iſtis ſuas ſordes, ſordidis inquã hominibus ſordida ſua præſidia relinquamus, noſtra interim odoramẽta vſurpare contenti, ratúmque illud ac pro comperto habentes horum vſu aſsiduo aërem ſuauiorem ſicciorem ac puriorem redditum, vitiatámque auram ac turbidam faciliùs diſcuſſum iri. Sed hæc ſatis eſſe non poſ ſent, niſi & innatus calor & alimẽtarius ſpiritus exhilararentur: quod iiſdem præſtaro

Alex. Bened. cap. 11. de peste.

Auerroës cæteríque Arabes.

dum ſatagimus, ſedulò cauendum ne acriũ grauiorúmque odorum vi ſpiritus & humores inflammentur. Sunt autem eiuſcemodi odoramina, ambarũ, moſchus, xylaloë, crocus non niſi ſæuiente hyeme vſurpanda: ſed tùm quoque vehementior eorum vis leuiorum permiſtione debilitari frangíque deſiderat. Hæc ſiquidem viribus integra ſpiritus diſsipant atque diffundunt, tantùm abeſt vt inſtaurent. Eſt & noxa alia grauior, dum calida acríque facultate vel ipſum caput feriunt: quam ob cauſam iis potiſsimùm incommodare eſſéque noxia cenſentur, qui crebris fluxionibus & capitis grauitate leui ex cauſa tentantur. Leuiora verò clementiáque odoramenta ſpiritus vt modicè cogunt, ita & reficiunt atque recreant.

Hipp. aph. 28. ſect. 5.

Atque vt de cultu quoque dicamus, veſtibus contagionẽ inhæreſcere diutiùs & exportari poſſe compertum cùm ſit, tutius fœliciúſq; cum iis agi quibus illarum ſubinde permutandarum facultas eſt nec obſcurum nec dubium cuiquam eſſe debet: ac præ aliis optandas nõ amphitapas aut heteromallas, ſed quæ vtrinque denſiùs ac nullis extantibus villis contextæ ſint, quales ex eo vellere quod foliis Seras olim depectere ſolitos innuit Virgilius, hodie verò ex opere vermiculorũ quos σῆρας ſeu βόμβυκας nominant nõ modò apud Seras ſed & in Europa tota paſſim vbique variè preparãtur. Eiuſmodi ſunt

Cultus.

2. Georgic.

ſericæ, multitiæ & ἑξάμιτοι. Nec minùs ab ambientis iniuria tutæ quæ ex coriis hircinis nuſquam non parantur, & vndulatæ atque id genus aliæ quarum nuſquam vt holoſericorum laneorúmve pannorum villoſa, ſed læuis eſt vtrinque ſuperficies. Illæ ſiquidem omnes textũ dẽſiorem ſortitæ ſunt, cuius ope venenatam materiam & qualitatem ex facili haudquaquã excipiunt. Sin minùs tales habentur, at certè ſuffitibus ac pulueribus odoratis ex alia quauis materia cõcinnatis veſtibus gratia concilianda. Minimè verò nudis pedibus ambulare tutum eſt: vti neque in publicum exire, niſi rarò ac cœlo tantùm ſereno dudúmque à ſolaribus radiis perpurgato colluſtratóque: ac tùm quoque tutius pranſum quàm ieiunum, & memoratis antè munitum auxiliis quàm Diuinæ benignitatis aut quæ ab ea ipſa proficiſcũtur præſidiorum inanem domo egredi. At qui ædium priuatarum ianuis aut vrbis oppidíve porta pedem extulerint, iis vt & aliis omnibus, quod prouerbio dicitur, cane peius & angue cauẽda vt inquinata loca ita & quæ ex iis aſportantur omnia. Eodem modo de frequẽtioribꝰ plateis, balneis, thermis, tabernis atque officinis publicis iudico: & id quidem meritò atque optimo iure, qui neſcius non ſim vt ex aëris vitio ita & frequenti ex congreſſu, colloquio quotidianáque familiaritate nõ modò peſtifera lue ob-

Celſ. cap. 10. lib. 1.

ſeſſorum, verùmetiam alioqui inquinatorum grauiſsimum impendere periculum. In hoc genere cauendi periculi officiíque præſtandi vitium illud vitandum eſt, ne ab extremo in extremum aliud deterius nobis ſit trāſitus, néve (vt eſt in prouerbio) in Charybdim deuoluamur dum Scyllam vitare nitimur. Media inter hæc via tutiſsima, vt ne quos colere tuerive debeamus parentes, liberos, propinquos, cognatos, affines amicóſque de nobis optimè meritos veluti pietatis atque humanitatis omnis, Chriſtianæ charitatis ac denique diuinæ prouidentiæ penitùs obliti deſertos eſſe patiamur, & ne temerè inſipientérve nos ipſiſque nobis charos & familiares imminentibus præſentibúſve periculis exponamus, nulla nec noſtra nec proximi neceſsitate aut mandato Diuino adacti. Hęc enī omnia vti & antidotos ac numinis digitum atque iram aſpernari, quid quæſo aliud eſt, quàm contra quàm ius fáſque eſt Deum ipſum tentare? Ergo quoties cum peſte obſeſsis aut aliunde inquinatis hominibus res nobis erit aut officioſa neceſsitudo, accuratè etiam atque etiam prouidebimus vt qua ex parte ſpirat ventus ea nos iis aduerſi conſiſtamus, ſitque tùm tēporis rara admodùm & quàm minima nobis inſpiratio. At ex graui vitiatóque & loco & conſeſſu digreſsis non inutilis fuerit ore ac naribus valida expiratio, qua venenatæ

tæ materiæ ſiquid inſpiratu perſpiratúve intrò ſubierit conceptúmve ſit protinus vtraque via reuellatur, ac pulmones & præcordia cordíque vicinæ partes exinanitæ in tuto verſentur. Poſtremò præſidij auxiliíque non parum eiúſque certi accedet ex aëris luculento igni expurgati inſpiratu, ac præterea hauſto odorato atque etiam cardiaco vapore. Interim verò ex alumnis domeſticíſque animantibus arcendi abigendíque omnium maximè canes ac feles, aut domi intùs concludendi cohibendíque, quominus contingat ſurſum deorſum vndique diuagatos ipſos contagionem alicunde communibus ſibi nobiſque ſedibus inuehere.

Motus & quies.

Nec verò ſatis eſt noxia cauere aut depellere, etiam accedere oportet quæ conferunt ſúntque vtilia: inter quæ modica cenſetur depoſitis priùs recrementis exercitatio, vti eſt geſtatio leníſve ambulatio cuiuis ætati ac vitæ parti accommodata. At ſi qua eſt cœli grauitas, ſuffitu atque ex odorata materia ignibus aërem in quo exerceamur perpurgari priùs oportet: ſin idem nubilus fuerit, tantiſper cunctandum, dum Solis radiis vtcunque diſcutiatur. Enimuerò tùm exercitij genus id vt nullum extrinſecus calorem confert, ita & innatum natiuúmque excitat & roborat, vires corporis omnes reſtituit, tuetur & firmat, mẽbra ſuis muniis obeundis alacriora expeditioráque reddit: hinc

Gal. in aph. 48. ſect. 2.

concoctio,distributio nutritióque fœlicior. Paulò autem vehementior exercitatio humores vitiosos & ad putredinem paratos mouet, nec tamen euincit, depellit aut imminuit: ac proinde impuro corpori vt vitãda, ita etiam cibo certè iam concocto distributóque & aluo soluta sat accommodata videtur, vt quæ excrementorum vacuationem dissipationémve plurimùm adiuuet. At concitatiore laboriosóque motu omníque maiore corporis contentione qualis est athletica corpus ei haudquaquam exagitandũ est cui sua valetudo curæ fuerit, tum quia vires fatigat imbecillásque reddit ad actiones, tũ quia calorẽ auget & humores mouet atque disturbat adeò vt quoquouersùm ceu quodam æstu efferuescentes, vndique suis vasis contineri vix queãt, fiántque tandem ad putredinem paratiores, tum denique quia crebram magnámque respirationem inducit: vnde metus est, ne simul cũ aëre intrò subiẽs aura venenata incautos aggrediatur & opprimat. Etsi verò quod à Raze scriptum est ex Galeni, vt ipse vult, autoritate, loco quodam peste omnes interiisse alios, solos venatores superstites & incolumes euasisse propter assiduam exercitationem quæ haud dubiè non leuis, non modica, sed vehemens ac violenta planè solet esse, quæque ægrotantium non est, sed optimè valentium: veri tamen simillimum est id ita accipi debere, vt dum

30. *Contin. tract.* 13.

dum exercebantur clementiore cœlo minimé que peſtilẽti vſos ipſos exiſtimemus, nec priùs in locum ea lue contaminatum reuerſos quàm ab exercitio aliquantiſper conquieuiſſent, ſedatóque iam omni corporis animorúmque motu anhelitum recepiſſent. Nec verò dubium, ſi vel minima ſentitur corporis partíſve alicuius grauitas, id in altiſsima quiete continendum: ne vitiati humores ſpiritúſque exagitati immaniùs ferociant & excandeſcant. Idque ſi quibus aliis, omnium maximè calidioribus naturis accuratè obſeruãdum, quibus ne moderata quidem motio hoc caſu ſatis tuta eſt, tãtùm abeſt vt venatio aut vehemens aliud exercitium conuenire poſſe putandum ſit: ſemper enĩ in animo eſſe hęrereq; debet Hipp. illud ἐν θερμῷ φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλιννύειν.

Celſ. lib. 1. ca. 10.

6. Epid. 4.

Iam conſentaneũ ad id quod inſtituimus eſſe videtur de cibo potúque dicere. Victum ne immutes, inquit Hipp. nam & peſtis cauſa non eſt, & perquàm exiguas ad valetudinẽ in peſtilentiæ caſu vires habet. Quòd ſi corpora pleniora grauíque atque ampliori mole ſint, & protinùs, inquit idem ille, ſoluenda plenitudo & victu tenuiore parcioréve minuenda. Alioqui in metu ſolent eſſe, ne multum & frequentiorem halitum inſpiratu haurire cogantur. Et quod voluêre nonnulli faciẽdum non eſt, vt hoc caſu exhibeantur tenuantia ex alimentorum

Cibus & potus.

Lib. 2. de na. hum. part. 4.

Ibidem.

genere, quippe quæ acrem magis magiſquè mordacem calorem ſoleant efficere: ſed abſtinendum, inquit Celſus, eſt, ac de cibis & potione quibus aſſueuerint demendum aliquid, ídque ſenſim non affatim, ne ſubita repentináve ex mutatione (quę quidem Medicorũ Principis teſtimonio grauis moleſtáque nunquam non exiſtit) haud leue corpori periculum incumbat. Rurſum quoniam redundans humor, íſque maximè quîcum calor eſt coniunctus, ſubiectum, fomentum atque vehiculum contagionis exiſtit: ratum & id eſſe debet, naturas iuſtò calidiores humidioréſque, vt omnium maximè putredini contagíque ſuſcipiendæ opportunas, omni ſtudio exiccari refrigeraríque oportere: quã ad rem vires non paruas obtinent permiſta cibis ἐμβάμματα acidula, qualia ferè ſunt medici arantiíque mali & oxalidis ſucci, vt & ex omphacio acidíque mali ſucco intinctus: nam id genus omnia humorum ſedato feruore putredini obſiſtunt. Ex ſolidioribus verò quæ itidem putredini corruptioníque minimè ſint obnoxia, ſed tum εὔχυμα tum etiam ad concoquendum facilia alimenta deligi oportere & doctis ratio & vulgo natura ipſa præſcribit. Quòd ſi ex eo victu cui aſſueueris nulla neque grauitas neque læſio ſentitur, quin ſanus degis & integra valetudine, ex eo nec quicquam vel certè quàm minimũ immutari, nec ad aliud victus genus temerè

Lib. 1. cap. 10

Aph. 51. sect. 2.

Vide Gal. lib. de alim. fac. & lib. de cibis boni & mali ſucci.

temerè trãſiri debebit. Porrò vt diutiùs perferenda inedia ſitíſve non eſt, quoniã vtraque vires manifeſtò conuellit & exoluit, ita neque ciborum plus ingeri conuenit, quàm & vires ipſæ deſiderent & bona valetudo perferat. Præclarè ſiquidem ab Hipp. ſcriptũ eſt: *Vbi cibus præter naturam copioſior ingeſtus eſt, hunc morbum facere*. Nam ex ingluuie victúque pleniore ac, ſi placet, optimo etiam è duobus alterutrum accidere neceſſe eſt: vt aut vires non cibi qualitate ſed ipſa quantitate grauiores, debiliores infirmioréſque concoquendo, diſtribuendo atque adeò alendo pares eſſe non poſsint: vnde intemperies, obſtructio, cruditas excrementorúmque omnis generis cumulus accerſitur. Alterum eſt vitium ipſa plethora conceptaculorúmque plenitas, quam protinùs ſoluendam admonuit Hipp. hinc enim innati calidi atque humidi primigenij extinctionis metus eſt, dum quicquid alimentorum ingeritur faceſsit in excrementa ác putrediñe, impediente redundantia ne in corporis ſubſtantiam conuerti poſsit. Contrà temperantia vna iucundæ ſalubríſque vitæ ceu mater ac moderatrix eſt: cuius rei documento hoc eſt, quòd ſola cibi moderatione vſum Socratem liberum & immunem perſtitiſſe legimus ab illius peſtilentiæ vaſtitate quæ internecino morbi genere non modò ciuitatem Athenienſium, ſed & Græciam

Hipp. aph. 4 ſect. 2. & Celſ. lib. 1. cap. 4.

Aph. 17. ſect. 2.

Aph. 3. ſect. 1.

Gellius lib. 2. cap. 1.

vniuersam & Asiam propè totã exhausit atque depopulata est. Iam & in exhibendo cibo spectanda imprimis accuratéque obseruanda duo hæc: ingerendorum ordo legitimus humanæque naturæ conueniens, & absque varietate sinceri simplicísque cibi ac potus exhibitio. Nec enim præter rem est quod solertissimus ait Plinius, cibum simplicem homini esse vtilissimum. Quòd si tamẽ varius magis placet, at certè in eo ipso similitudinem obseruari nõ fuerit inutile. Nam dissimilia quę sunt, Hipp. authore, seditionẽ mouent, dum ex his alia citiùs, tardiùs alia & mitificantur & in corpus ipsum diuidũtur. Cæterùm inferiore ex causa cùm suborta pestis est, cauenda in vniuersum quæcunque ceu terræ excrementa videntur, tubera, boleti, ἀμανῖται totúmque fungorum genus. His non minùs vitanda olera, ac inter cætera brassica præcipuéque capitata, vt quæ cõceptum aëris vitium diutius retineat sinuosis laciniosísque foliis suis velut inuolucris cõclusum. Puerilis planè nimiúmque ridicula vel potiùs superstitiosa quorundam hominũ opinio tùm è volucribus eas respuentium quæcunque prope terras aut in terris etiam ipsis nidulantur: quo ex numero sunt optimi succi hæ, perdix, attagen, phasiani quas Columella gallinas Numidicas nominasse videtur, turdi, ficedulæ cęteræque aues quæ pedica, laqueis viscóque velut ex insidiis

Auic. 3. 1. cap. de vict. rat.

Lib. 11. c. 53.

Lib. 3. de flatib.

diis

diis capiuntur. Præpoſteris hiſce iudiciis ſordent etiam ex chorte aues nobilium diuitúmque menſis frequentiſsimę:ſed iis nos hominibus anates, anſeres, grues atque huius generis paluſtres vitioſíque ſucci volucres non ægrè conceſſerimus, noſtris quas contemnunt contenti. Eiuſdem amētiæ illud eſt, quoties cœlitùs atque è ſublimi peſti origo eſt, fugiendas aues quæ ſe longiùs à terris volatu ſubducunt. Attamen in eo quòd aquilas, miluos vniuerſúmque rapaciū alitum genus hoc numero comprehendunt, non improbandi eſſent, niſi abſurdè nimium ſublimem volatum eo caſu damnarēt. Vinum verò vt in peregrinationibus, ita & in peſtilentia vim auxiliandi magnam habere Plinius aſſeruit ab ſummo ingenio tum Philoſophis tū Medicis laudatū, vt quo vires alātur, recreētur robúrque ac firmitatem accipiant. Eſto autem id tenue, ὀλιγόφορον, & vel meracum vel pro conſuetudine magis minúſve dilutum. Iam illud Celſi alternis diebus modò aquam modò vinum bibi oportere, cauſam habet hanc, quòd illius aſsiduo vſu cruditatis, ab hoc ardoris metus impendeat. Sed eſt hoc ipſum eiuſmodi quod propriam obſeruationem hanc deſideret, qua præcipit author bonus, eum qui ſtomacho laboret quò faciliùs exactiúſque concoquat quicquid in-

Lib.23.ca.1.

Lib.1.ca.10.

Lib.1.cap.2.

gesserit potione frigidæ includere, haud obscurè docens non nisi postrema mensa vltimóque cibo frigidam salubriter dari. Si absque fame sitis erit interdiu & extra cibos, hanc solari licebit epota posca: aut bibetur *decoctæ nobile frigus aquæ*, vt inquit Poëta. Consultum verò videtur ex aquarum genere deligere putealem in ea peste quæ ex cœlo causam habeat. At ex tetro terræ halitu aut alia quauis inferiore causa tum fontium tum etiam profluentium in terræ facie aquarum potio salubrior. Vndecunque tandem ea petita sit, & melior & iucũdior multò fuerit serapij alicuius admixtu refracta, quale est quod acetatum vocant & ei viribus proximum oxymeli, aut quod ex oxalidis, limonum aut granatorum succo concinnatur. Sed iucundior interdum nec minùs salubris potio ex oxalidis ipsius aut limonum medicíve mali exemtis granis & cortice, aut punicorum decocto, addito saccharo pro hominis naturâ aut simplici aut ex factitiis quopiam accommodato.

Somnus & vigilia.

Cibo potuíque non tam viribus quàm ordine proximi & affines sunt somnus & vigilia. De horũ essentia atque vsu disputatio non est huiusce loci. Sola μετριότης spectanda, vt nequid desit aut redundet, sed horum quicquid est id expediat, quadret

dret ac numeros impleat. Vtriusque à mediocritate vtramlibet in partem recessum iam olim damnauit in vniuersum Medicinæ princeps Hipp. dum ait: ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, κακόν: ídque vti & alia omnia non minùs verè quàm prudenter. Etenim somnus immoderatior nocturnus etiam, nedum matutinus, spiritus offundit atque conturbat, sensus tum corporis tum etiã mẽtis torpore ignauiáque debilitat. Membra corpúsque vniuersum grauat humectátque atque refrigerat, crassos lentósq; humores congerit. Maximè verò diurnus seu meridian⁹ corpora inertia planè multóque segniora reddit, atque vt ea difflari minimè permittit, ita & humiditate copiosa cerebrũ vtplurimùm opplet, adeóq; cũ capitis grauitate destillationum, obstructionum aliorúmque frigidorum diuturnorúmque morborum author existit. Ex quibus intelligi datur cauendum esse presertim insuetis, nisi aut lassitudine tẽtentur aut noctes vigilatæ insomnésque precesserint. Sic & vigiliis haud nimiopere macerãda corpora, quia spiritus exhauriũt, corpus totũ maximéq; cerebrũ impendiò siccant súntque, Hipp. authore, voraces: sensus obtundunt & infirmant, vires deiiciunt, bilem adaugent & accendunt, innato calore dissipato cruditatem

Aph.3.sec.2.& Celf. lib.2.cap.4.

6.epid.sect.4.

Hipp. lib. 2. de victus ra. in acit.

pariunt, ac dum cibi potúsque cõcoctionem impediunt ac bilem inflammant ferociorémque reddunt, phrenitidis, febrium aliorúmque acutorum morborum fiunt procreatrices.

Animi perturbationes.

Magna vis est consensionis corporis cũ animo, & magna in vtranque partem: vt vix vnquam ægrotent, quorum in corpore sano sana mens est, & ægro semper vel animo vel corpore sint, qui alterutra sui parte laborant. Igitur ira, mœror, odium, metus, grauiores curæ, domesticus tortor inuidia totúmq; animi perturbationum genus, tum aliàs semper, tum vel maximè in pestilenti cõstitutione maximoperè fugiendum est. Ac ne per incognita procedamus, quæ Græci πάθη vocant Latinis appellari placuit perturbationes potiùs quàm morbos. Stoici cùm de animi perturbationibus motibúsve nimiis rationi non obtemperantibus disputant, magnam partem his diuidendis definiendísque sunt occupati. At illa eorum perquàm breuis oratio est, qua animis medeantur nec turbidos eos esse patiantur. Peripatetici & spinas diuidendi definiendíque prætermittunt, & ad placandos animos multa afferunt: verùm humana disciplina vix vlla hominis mores temperare atque moderari aut impetus comprimere sedaréque potest, quin semper horum

procellis

procellis & fluctibus iactetur, & adeò vt tum corporis ſuccos cōcitent & de naturæ ſuæ ſtatu deducant atque dimoueant (quod diligenti & erudita obſeruatione Galenus animaduertit) tū ſpiritibus aut incenſis aut immodicè refrigeratis corpus quoque reliquum haud obſcurè afficiant. Qua ratione autē & quibus ex cauſis fiant recenſiti antè affectus quámque variè nos afficiant, abundè traditum comperiet quiuis à Marco Tullio ex Stoicorum acutiſsimè in hac quęſtione verſatorum fontibus. Iure autem vna benignitatis Diuinæ erga fideles firma aſſēſio totius iucundæ & abſque perturbatione traductę vitę moderatrix eſt, nec vlla vnquā vel calamitate vel ærumna premetur qui vitę fundamentum iecerit pietatem ac fidem: non erit vnquam ſua ſorte aut conditione non contentus, qui Chriſti familię omnia bene fœlicitérque ſuccedere perſuaſum habuerit, ac rerum omnium tum opificem tum moderatorem eūdem ſibi benignum eſſe patrē crediderit. Quiſquis ergo præceptis inſtitutíſque philoſophię Chriſtianę informatus Diuinum Spiritum rectorem habuerit, is & vehementiores de peſtis miſero ſtatu cogitationes attentioréſque imaginationes excludet, ita vt ne per eas vlla fiat in corpus impreſſio, & erit à triſtibus aliis quibuſuis medi-

Lib. de art. text. 85.

Tuſc. 4.

Auic.4. part.6. nat. cap.4. & 2. 1.doct.2. c.14.
Arist. lib. de causa mot. anima. & Probl.8. sect.7

rationibus, quæ grauissimis sæpenumerò morbis initia præbuerunt, alienissimus. Nec verò illius vnquam animus in profanas, aut grauiores seuerioresque cogitationes edacésve curas incumbet: sed ad securitatem hilaritatémque traductus cantu, facetiis, amœnis iocis, historiæ leui gratáque lectione ac liberalibus ludis, denique moderato iucundorum exercitiorum vsu animum pariter corpúsque reficiet atque recreabit. Quin humanæ duntaxat rationi obtemperantem βούλησιν, hoc est, voluntatem minimè sequetur, sed velle id atque nolle quod directò Spiritus Diuinus suggeret & dictabit, eam demum tranquillam fœlicémque vitam seculis hîc omnibus & in cœlis æterna omnia fœliciáque esse statuet: quæ summa est ac numeris omnibus absoluta beatitas.

Corpus exinanientia.

Venus.

Diog. Laer. lib.8.

Auicenna.

Animi perturbationibus annexa est libido ac venerea cupiditas, quo loco arctè tenendum illud est, eius raritatem semper vtiliorem, esséque ex Pythagoræ placitis nobile hoc pronũtiatum, coitu tùm demum vtendum esse cùm quis seipso infirmior fieri volet: quæ profectò sententia incorrupta voce bene iudicantiũ laudem gloriámque meretur. Nam coitus immoderatio caloris innati spirituúmque vitalium penuriam quouis sanguinis fluore

modis omnibus nocentiorem inuehere consueuit. Neq; verò intempestiua & immoderata venere aliud quicquã est quod cerebrũ potẽtiùs infirmet atque debilitet, sensus ac mentem ipsam labefactet atque cõuellat aut corporis totius vires frangat & eneruet ac spiritus etiam ipsos exhauriat, calorem denique ac humidũ primigenium obterat atque depascatur: quæ certè quidem omnia corpus excipiendæ contagi paratius efficere consueuerunt. Non iniuria igitur, quin potiùs iure optimo immoderationem eam ceu periculum præsentissimum grassante peste cauendã esse doctissimi quique censuerunt: interposita tamen hac distinctione, quòd quibus flos est & ætatis vigor, quíque εὔσαρκοι sunt, & ad coitum habiles, quíque per diuturnam nimiùm veneris abstinentiam titillantis turgentísque seminis exuperãtia quasi onere grauari se sentiunt, moderata ea raráque (vt dictum est) vti consultum fuerit. Quibus verò contraria sunt ætas atque habitus, iis aut rarissimè aut nunquam ex vsu erit concubitus vel hac potissimùm ratione noxius, quòd eo naturæ eiusmodi plùs iusto rarescant crebriórq; accedat respirandi necessitas, interdũ & innati caloris extinctio tanta, vt nõ valeant ingruenti contagio resistere.

Arist. 2. de generat. ani. & lib. de long. & breu. vitæ.

Oribas. lib. paratu facil.

Balneorũ aquæ dulcis non minùs quàm

Balnea.

laconicorum vſus Italis atque Gallis frequens, Germanorum verò populis frequentior. Hæc corpora nimioperè laxāt, cutis meatus remittunt, ſpiritus inflammant, humores calfaciunt & tenuāt: atq; dum ex his fuliginoſos ſummis è partibus diſsipant, tenues verò & acres ex intimis ad cutem euocant, craſſos quos non diſsiparint tanta vi mouent vt in partem languidam illapſi eam in diſcrimen inflammationis adducant, reſpirationis frequentioris neceſsitatem inuehunt, atque adeò corpora εὐπαθέστερα impreſsioníque venenatæ opportuniora reddunt. Quare cùm aliàs ſemper, tum vel maximè peſtilenti conſtitutione iis aduerſiſsima nymphæa qui quouis graui morbo tenentur, nec iis minus qui abſque morbo plethorico cacochymóve ſunt corpore & quibus in præcordiis aut viſcere quopiam imbecillitas tumórve ſubeſt. At iis tamen vtilia ſemper commodáque fuerint qui ſqualido ſiccóque ſunt habitu, aut quibus ſaltem pars corporis aliqua alimento idoneo defecta marcore tētatur. Laconicum verò impēſè bilioſo extenuatóq; plurimū offecerit. Sed manifeſto in errore verſantur qui corporis tuendi cauēdæque peſtis gratia corpus vniuerſum aceto cenſent abluendum: ſæpiùs enim cutis ſpiraculis nō aſtringendi (quæ aceto vix vlla ineſt) ſed frigidæ qualitatis vi validiùs obſtru-

ctis, grauiori malo initia dederunt.

Qui aluo soluta ferè sunt, hi nec malis aliis nec peste ex facili corripiuntur, quæ Hipp. & Galeni sententiá est multò verissima. Si ingestus cibus potúsque varius non est, si eius facilis tum concoctio tum distributio, si εὔχυμος is ipsáque multitudine modicus mediocrísve ac tempestiuè iustóque ordine ingestus, natura ipsa sua sponte labore nullo, molestia nulla crassiora liquidioráq; , ne dicam generis omnis, excrementa deponet. At si quando retenti excrementi onere grauata à Medicina opem & auxilium desideret, tùm leuari eam ipsam oportet medicamentis iis quæ quòd solas ab aluo fæces ducant & exturbent, propterea ἐκκοπρωτικὰ sunt appellata. De hoc genere sunt lactis serum, butyrum, mel crudiusculum, saccharum rubrum: violarum item, buglossi, brassicę maximéque rubræ, betæ & quæ antedictis medicamētosa magis est linozostidis decoctum, cicerum rubrorum iusculum. Inferioris ordinis sunt malua, atriplex, blitum, oxylapathum, iuli nucis iuglandis, vrticæ tum folia tum semen, lentis primum ius. Fæcis vini ac resinæ pini, picis & laricis vis maior, vti & terebinthinæ. Omitto iam ebulum, sambucū & filicis fœminæ folia, oleíque & ex amygdalis expressi succi in id veteribus vsurpatas po-

Aph. 33. sect. 6.

Aluum subducentia.

tiones,prunorúmque dulcium decoctum. Eôdem pertinere videntur ex exoticis manna Arabũ, casſia fiſtuloſa, tamarindi, aloë & eius generis alia non pauca. De balanis autem & infuſis in idipſum accommodatis dicere neceſſe non eſt, vt quorum perſpicua vis eſt ſopitam excernendi vim irritandi & extimulandi, aut aluum fæcibus aſtrictam & ſiccitate duritiáve cohibitam emolliendi. Horum ſin gulis nec diu nec niſi ex interuallis longioribus ſub prandij tempus aut ieiuno alioqui ventriculo vti oportere notius eſt,quàm vt longiorem orationem poſtulet. Cæterùm his omnibus ſtudioſè ac dili genter obſeruatis, ex reliqua victus conſuetudine quàm minimum immutari debebit.

Diu magnum inter Medicos certamen fuit éſtque hodie, ſectáne vena an ſpiritu calore natiuo ac viribus vnà cum ſanguine retentis imminens iamiámque veluti ceruicibus impendens peſtilentia magis præcaueri poſsit. Sed poſteaquàm viſi ſunt plerique multi vitalium imprimis, dein etiam conſentientium reliquarum facultatum languore interiiſſe, tùm demum experimẽto compertum eſt in præcauenda peſte corporis virium integritatem eſſe neceſſariam plurimúmque valere. Ergo qui longo artis vſu doctrinæ ſtu

Vena ſectio.

dia

dia compleuêre Medici non minùs cùm cauendæ auersandæque pestis studium est quàm cùm eius curatio perficitur, à venæ sectione prorsus abstinendum censent, nisi viribus maior adsit plenitudo aut certè venarum distentio: ídque hac ratione, quia nobis extrinsecus circunfusa pernicies exhausto tũ sanguine tũ etiã spiritu in cor & venas faciliùs penetrat ac ferocia maiore inualescit, atq; adeò patet promtior ad internecionẽ via, quando vires ipsæ vacuatione imminutæ insilienti perniciei vix vnquã nec nisi ægriùs obsistere possunt. Est & alia ratio, quòd humores naturales secta vena exagitati faciliùs promtiúsque labem contrahunt. Ex ipsa nanque rerum natura deprehenditur causam motam quiescente perpetuò esse perniciosiorem atque molestiorem: quæ exquisitè docta est Galeni sententia hac innitens ratione, quòd noxium quiescens ceu consuetudine quadam nobis ita familiare efficitur vt corpus aut nullum aut certè minimum inde incommodum percipiat. Hæ rationes experientia inuentionis omnis instrumento altero confirmatæ vt à venæ sectione ita etiam magis à valida purgatione docent esse temperandum. At siqua tamen erunt πληθώρας aut succorum in venis vitiosorum redundantiæ signa, constet virium

5. de sympt. caus. cap. 5.

virium robur cæteráque conſentiant quæ συνενδεικνύμενα dicuntur, vtile non dubium duco aperta vena phlebotomo aut adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis aut etiam admotis hirudinibus ſanguinis aliquid detrahere, quò exuperantis materiæ nõnihil ſubtrahatur, eueniátque tandem vt natura graui noxiorum humorum pondere quo veluti ſarcina premebatur deonerata ſibíque velut reſtituta & refocillata reddatur alacrior expeditiórque ad omnis generis functiones obeundas, & innato calore liberaliùs euentilato reſeratíſque arctioribus viis & ſpiraculis arceantur morbi quorum incurſus ac diſcrimen priùs impendebat. Aliàs verò vix vnquam ſanguinis miſsio vtilis: quin & eam, vbi neceſsitas eius eſt, parciorem eſſe cõuenit, ne in ſecunda valetudine aduerſæ præſidia conſumantur, quod non eſſe committendum Græcis nõ minùs ſapienter Celſus admonuit.

Lib.1.cap.1.

Purgatio.

Huic affinis eſt de peccantium humorum purgatione quæſtio, eáne decernenda ſit an verò omittenda veluti minimè neceſſaria. Ac profectò qui ſano ſunt corpore medicationes, authore Hippoc. difficilè ferunt, ídque non ſine corporis detrimento viriúmque iactura, affirmantibus nonnullis doctrina exquiſita eruditis καθαρτικὰ ſimile quiddam atque lixiuium

Aph.36. & 37. ſect.2.

lixiuium efficere, quod quidem lintea dũ probè eluit purgátque eadem interim atterit, & adeò vt ex frequenti diutináque lotione attrita ac penè putria tandem in aſpectum hominum conſpicienda ſeſe exhibeant. Nihilominus tamen ſi qua in venis impuritas & cacochymia ſubeſt, purgans medicamentum adeò nihil obeſſe putandum vt tum etiam magnum adiumentum allaturum videatur. Vt verò cõmodiùs id fructúque maiore exhibeatur, præparatio duplex interdum neceſſaria, vna corporis, humorum altera: in his enim ſi quid ſemicoctum duntaxat crudúmve ineſt, id concoquendi vi præditis apparandum. Si quæ ab humorum multitudine vel craſsitie aut lentore obſtructiones, expediendæ eæ medicamentis tum abſtergentibus tum quæ incidendi, aperiendi & infarctus expediendi vim ſortita ſint, aut certè phlebotomo aliáve ratione de multitudine demendum. Ad hęc aperiendæ viæ per quas decurſurum eſt medicamentum & materia vacuanda. Purgantium verò medicamentorum materiam in hoc caſu ex leuiorum mitiorúmque genere eſſe oportere, aut certè ex ordine mediocrium exquiſita doctrina vſúque peritis viris eſt viſum: ne ſi ex malignorum genere quodpiam exhibeatur, immoderata effrenatáque fiat humorum

Hipp. aph. 22. ſect. 1.

Hipp. aph. 9. ſect. 2.

exagitatio. Ad primum ordinem pertinent quæ benigna Medicorum vulgo appellari placuit priscæ Medicinæ vel nondum vsurpata vel magnam partem ignorata: mel aërium qui & ros Syriacus dicitur, mannam ex Arabum Scholis mutuata voce vulgò nominant, serapia rosaceũ violaceum aut ex persicorum floribus, ipsorum materie in aqua maceratione nouies repetita. Eôdem pertinere videtur decoctum galli ruffi & veteris iis adiectis quæ à Mesuæo eam in rem prescribuntur, lactis serum maximéque caprinũ in quo sub dio macerata fuerint fumaria oxylapathum aliáque similia. Cõueniet & Ruffi ex aloë medicamentum, lota illa quidẽ si quibus exhibebitur mariscę recludi vel menses largiùs emanare consuêrint: alias verò quascunque naturas illota magis iuuerit. Est & cùm humorum vitium ipsáque adeò varia corporum natura ex secundo mediocríve purgantium ordine opem desideret vt maiorẽ ita & suę cuique naturę affectuíque magis consentaneam: de hoc genere sunt rheumbarbarum, senna, polypodium, agaricum, tamarindi, myrobalani, hiera picra: tryphera item Persica, electarium d. Mesuæi rosaceum & de succo rosarum, diacartamum, diaprunum soluendi vi præditum, elect. de psyllio, exacto iudicio pro peccantis humoris

Lib. 1. simp. medic. purg. cap. 23.

humoris ſpecie alia aliis, vt proximè innuimus, decernenda. Incidit enim nonnunquam imbecillis nimiùm viribus neceſsitas blandioris minúſque calidi medicamenti, cuius vis vniuerſam humorum corporíſque molem neutiquam exagitet. De hoc numero ac primi ordinis genere eſt caſsia συριγγώδης, quæ eadē eſt ſiliqua AEgyptia, Actuarij κασία μέλαινα: ſed ea tamen nimiam ob humiditatem Montano non probatur, ac nobis etiam ipſis parùm efficax ſemper eſt viſa: ídque non dubia ratione hac, quòd leniendi vi & emolliente duntaxat prędita tenaces valde ac pertinaciùs inhęreſcentes humores nec ſatis detergeat nec ex aluo ſubducat. Atque vt imbecilla hæc quòd emolumento propè nullo negotium ſæpe maximum faceſſant, ſola vel rarò vel vix vnquam lubenter ab vſu peritis Medicis admittuntur: ſic etiam in peſtilētiæ caſu damnántur validiora ex malignorum ordine medicamenta, ſcammonium, verbi gratia, colocynthis, turpethum, elaterium & id genus alia quæ vel experientia ipſa nedum Auicenna teſte, præterquàm quòd vires ſupramodùm labefactant conuellunt atque demoliuntur, ventriculo etiānum communi totius corporis inſtrumento noxam haud leuem inferunt. Quòd ſi qui lumbricis infeſtentur, qui tum certè

Lib. de feb. peſt. cap. 48.

quidem plurimi ſolent eſſe conuenienti accommodatóq; cuipiam ex clemẽtioribus medicamentis haud inutiliter admiſcuerint quæ vermes necare atque è corpore pellere conſuêrunt.

Præmittenda alexipharmacis vniuerſa remedia, ſi quando conueniunt.

De venæ ſectione déque noxiorum purgatione quantum propoſito inſtitutóque noſtro conueniret, hucuſque diſputatum. Atque hæc præſidia in remediis magnis iure ſemper habita nunquam non vſurpãda, quoties vel commoda ea eſſe vel horũ neceſsitas vrgere videbitur: ídque eò accuratiore diligentia, quòd his vel neglectis vel de induſtria prætermiſsis ἀλεξιφάρμακα, quorum vis atque efficacitas eſt totius ſubſtantiæ diſsidio peſtilentiæ contagium arcere aut abigere, in corpus impurum aut præ multitudine obſtructum vires ſuas exerere nullo modo poſsint: ex quibus intelligi datur inutiliter fructúq; nullo, addam & interdum ægrotantium malo, ea antè exhiberi quàm plethora, cacochymia, obſtructio aut cruditas, ſi qua ſuis ſignis ineſſe deprehendetur, medendi arte ſummoueatur: habẽdúmque ſemper pro comperto tum his tum aliis omnibus eiuſmodi ex cauſis occultam perniciem foueri ac antidotorum etiam nobiliſsimarum vires obtũdi atque infringi. Hoc loco facere non poſſum, vt medicationẽ à pleriſque multis ſed iis non ſatis eruditis

Catharticis antidota nunquam permiſcẽda.

tis vſurpatam approbem qui cùm in vſum veniunt medicamenta καθαρτικὰ, iis antidota atque ἀλεξιφάρμακα exiſtimant miſceri oportere. Nam & horum illa vires infringunt & obterunt, motuúmque atque efficientiæ contrarietate humanam naturam grauiùs offendunt atque percellunt. Motuum verò cõtrarietas vel ex eo perſpici poteſt quòd antidota ferè omnia veneni vim foràs atque ad extimam vſque cutim propellere ſuapte natura & conditione ſolent. At καθαρτικὰ qua ſunt attrahendi vi prædita quicquid eſt impuritatis ab extima corporis facie ad ſeſe ſemper alliciunt.

Catharticis antidota nũquam admiſcenda.

Cæterùm ſi quibus in peſtilentia ſcabies vel è toto corpore erumpat vel è capite(quę grauiſsima eſſe ſolet) eius tum temporis ſanatio minimè curæ eſſe debet, vti nec corporis aliorum affectuum per quas viſcerum impuritas interioráq; omnia expurgari cõſuerũt. Igitur fiſtulas ſi quæ priùs inerãt ſiccari aut ex hæmorrhoide ſanguinis profluuium ſiſti non oportere conſpicuum eſt, niſi fluxionis ea ſit immoderatio quæ grauioris mali aut mortis periculum minitetur. Tùm enim ea tantùm abeſt vt noceant, vt poſt vniuerſam corporis euacuationem artubus à pleriſque multis hoc caſu admoueri ſolita cauteria tum quæ actu tum quæ vel ſola poteſtate vrendi vim habent non paucis bene ceſsiſſe experientia ipſa abundè te-

Cauſtica.

ſtatum ſit & bono futura ſperandum. Cau-
ſtica ea ſunt, vt vitriolum vſtum, æs vſtum &
ex iis chymiſtica arte parata aqua fortis aut
vſtorius lapis & quæ veſicantia dicuntur: ſi-
quidē tāta horū cuiuſuis efficacitas exiſtit vt
vlcus in aduerſa ignobiliorique parte cui ſo
lent adhiberi dum excitant, in id principum
partium reuellantur excrementa aut certè
deriuentur, cúmque iis vnà ſi quid venenatę
materiæ faceſſebat negotiū foràs id emigret.

Hiſce, opinor, abſoluta videtur vniuerſa
de ſex rerum non naturaliam moderatione
tractatio: in qua præſidia certè quidem plu
rima complexi ſumus, ſed quæ non niſi κατὰ
συμβεβηκὸς & propter aliud præcauendæ pe-
ſtilentiæ vires obtineant. Iam ad ea tranſiri
tempeſtiuum eſt quæ vel ſola καθ' αὑτὸ pe-
ſtilentiam arcere poſſunt: ea præſidia ἀλεξη-
τήρια καὶ ἀλεξιφάρμακα Græcis, Arabibus ve-
rò *bezoardica* ex eo ſunt appellata, quòd vi-
tam veluti conſeruent: horum vis atque oc-
culta proprietas eſt, cor viſcus nobiliſsimum
tueri atque confirmare obſiſteréque quo-
minùs in arcem eam irrepant contagia, pa-
ritérque venenatæ materiæ foras expulſio-
nem moliri.

Peſtilentiæ

Pestilentiæ ἀλεξιφάρμακα tũ simplicia tum etiam composita. *Cap. VII.*

Alexeteriorum natura duplex.

Gal.5.simpl. cap.18.

Τῶν ἀλεξιφαρμάκων de quibus hoc loco nobis differẽdum restat omnino genera duo sunt: vnum commutantium tantùm, alterum eorũ quæ ex affecto corpore pellunt atque vacuant bestiarum virus corrumpendi natura prçditum, mortiferum seu deleterium medicamentum & quoduis venenum aliud. Ac illa commutant quidem aliàs primis secundísque qualitatibus, iísque aut simplicibus aut coniugatis: aliàs tertiis etiam totáque sui substantia veneni vim omnem hebetant, retundunt, obterunt atque adeò corrumpũt aut prorsus extingunt, vt nobis noxam aut nullam aut vix aliquam inferre valeat. Quæ verò venenum pellunt & inaniunt alia dum foris admouentur coniuncti cum partium tenuitate caloris attractione vacuant, alia tam intrò sumta quàm foris adhibita substantiæ totius partim συμπαθεία partim & ἀντιπαθεία idipsum præstãt, seu venenatam materiam foras eliciant discutiántve, seu arceant aut excludant: est quando ipsum vitæ principium antipharmaci ope abditáve proprietate firmatum atque roboratum veneni vim penitus totámque à se propellat &

procul amandet. Ex tam varia támque inter ſe diſcrepāte τῶν ἀλεξητηρίων natura quæcunque primis ſecundíſve qualitatibus euidentibus alterant aut è corpore vacuant, ad præcauenda arcendáve peſtilentiæ contagia nihil planè faciunt: ſed hæc quidem ſi extrinſecus applicentur in peſtilentium tumorum curatione, non exigua vi pollere cōperiētur, veneni vim caloris attractione pro licientia paritérque à corde foras euocantia: illa verò nec ad precautionem nec ad ipſius mali curationē quicquam omnino aut certè quidem parum admodum conferunt, neque id per ſe ſed duntaxat ex accidenti: quando tùm agunt non qualitatum quibus ſunt prædita ratione, ſed ſecretiore quadam proprietate quæ tota è forma dimanat quæque non ratione, ſed ſorte aut caſu duntaxat deprehenſa fuerit. Sola igitur illa quæ tertiis facultatibus agunt peſtilentes morbos & profligant & arcent. Enimuerò cùm in peſtilentia non corporis noſtri qualitates aut temperamentum, ſed tota ſubſtantia primùm ac per ſe immutetur, ratúmque ſit hoc theorema phyſicum, actionem fieri ex contrariis quæ ſub vno eodémque genere comprehendantur: quis non animaduertat & conſequens illud eſſe, non à qualitate temperamentóve totius ſubſtantiæ mali curationem aut præcautionem, verùm à tota antipharmacorum ſubſtantia eſſe petendam? Nam vt qualitas

Sola ea valent ad præcautionem quæ tota ſubſtantia alterant aut è corpore vacuant.

in ſub-

in ſubſtantiam aut ſubſtantia in qualitatem primùm ac per ſe agat vnum ex iis eſt quæ fieri omnino non poſſunt. Igitur non minùs ad præcauendam quàm ad curandam peſtem ea ſola καθ' αὑτὸ deſiderantur, quæ ſiue intrò ſumpta ſiue ſuffitu odoréve hauſta aut foris adhibita ſubſtantiæ totius occulta tum ſimilitudine tum etiam diſsimilitudine vires ſuas exerunt: ídque dote partim ad omnia venena communi, partim etiam ad hanc peſtilentem perniciem peculiari. Vt enim in tota rerum vniuerſitate vix quicquam ſubſiſtit, cui non & ſimile & diſsimile atque contrarium quiddam Natura protulerit, etiamſi induſtria diligentiáque noſtra nequit inueniri: ita & occultum peſtilentiæ virus licet cum venenis aliis haud paruam habeat ſimilitudinem, ei tamen ipſi neceſſum eſt & occultas & totius ſubſtantiæ diſsidio contrarias ſimul & ſimiles quodammodò medicamentorum vires Natura comparauerit, quibus ſolis aliàs alias etiam permixtis natura quidem noſtra conſeruetur, ipſum verò venenum aut foràs ad extimas eáſque ignobiles partes extrudatur aut certè vel reſtinguatur vel ſudoribus aliáve quapiã via foras pulſum exterminetur. Huius generis medicamenta credi par eſt ex eo frequentius etiam καρδιακὰ Medicis appellata, quòd, tãquam cordi familiaria, venena ipſa viſçus nobiliſsimum totius ſubſtantiæ diuor

tio & ἀντιπαθείᾳ oppugnantia & demoliantur & prorſus exterminent. Ἀλεξητήεια enim dum ſpiritus vitales excitant & colligunt, dúmque vires languidas ſarciunt ac proinde vitæ principio robur conferunt, conſentaneum eſt vt ad venenatæ materiæ expulſionem illudipſum excitent & opem ferant non mediocrem. Ex hoc genere quæcunque collo ſubnexa id præſtant, peculiariter Grȩcis περιάμματα ſiue περίαπτα, Latinis amuleta dicuntur.

Porrò quæ ἀλεξητήεια ſiue ἀλεξιφάρμακα communiore vocabulo nuncupantur tum ſimplicia tum item arte compoſita, Galeni teſtimonio longè grauiſsimo, ſint venenis ipſis partim ſimilia neceſſum eſt quãdo hæc ex æquo atque illa corporis partes eaſdem atque imprimis ipſum cor appetunt, partim diſsimilia dum ope certa peculiaríque poteſtate cor tuentur & ſi quid infeſtat id totum auferunt. Hoc igitur Galeno totíque Græcorum Medicorum familiæ non inuiti dabimus hæc ipſa, quibus de nobis ſermo eſt, quæque ἀλεξητήεια verè propriéque ſunt mediam quandam naturam ſortita eſſe inter corpus quod curatur & ipſum venenum, ſi debet eadem eſſe proportio corporis ad facultatem alexeteriam, quæ alexeterij ad corpus. Alioqui ſi medicamẽtum veneno foret propinquum viribúſque compar, vt hominis naturæ aduerſiſsimum ipſum hauddubiè neceſſa-

Lib. 3. Simplic. cap. 17.

Alexteriorum natura media inter corpus curandũ & ipſum venenum.

necessariò læderet. Sin nostro corpori familiare & amicum, cùm sit necesse profuturam aduersus venena actionem è totius substantiæ diuortio manare, ipsum nullum operæprecium faceret. His ita positis simul etiam efficitur quod eodem loco Galenus admonet: eum tum sumendi tum foris admouendi alexeterij modum esse debere, vt neque mole copiáve ampliore animantis corpus grauiùs offendat, neque præ exiguitate à venenis ipsum euincatur, quæ ambo non consentanea inutiliáque sunt. Moderatus verò conueniénsque modus tum sumtæ, tum foris adhibitæ antidoti eum hauddubiè præstat effectum cuius gratia tantoperè à nobis id expetitur.

In alexeteriis seruãdæ quantitatis moderatio.

Atque vt modi ita & temperamenti rationem habendam esse existimo: calidorum enim quàm contrariorum vis atque efficacitas maior promtiórque videtur. Quippe calida illa præterquàm quòd communi τῶν ἀλεξητηρίων ratione abdita totius substantiæ proprietate iuuãt, faciliùs etiam quoquouersùm penetrant vímque vnà suam intrò deducũt. Ex his ipsis si qua fortè odorata sunt, ea spiritus omnium maximè instaurant: quæ verò tenuia acriáque, ac proinde humores extenuare incidere tandémque in vapores resoluere nata sunt, aut vasorum ipsiúsque adeò cutis meatus rarefacere, ea nobis suppeditant vnde sudores moueantur atque pe-

Alexeteriorum differentiæ.

ſtilens virus cum ſudoribus & deturbetur & excludatur. His ipſis ſi amaror íſque natiuus inerit, validiùs ea fœliciúſque tum vaſorum oſcula tum cutis vniuerſæ meatus ſpiraculáque detergunt & expurgant. Eſt& frigidis in hoc genere ſua quædam, nec fortaſſe multò minor, vtilitas: ſiquidem corde ſeu natura, ſeu aſcititio temperamẽto calidiore ac proinde ex facili promtiúſque venenum ad ſe allicere conſueto, quid optabilius meliúſve accidere poſsit eo quod feruorem illum cõpeſcat ac reſtinguat? diſperſos quidem errãtéſque vitæ ſpiritus in vnum colligat, imbecillos verò roboret firmétque? Eſt & alia ratione hæc eadem qualitas vtilis, vaſorum ad cor pertinentium ductibus (qui corde calidiore latiores patẽtioréſque ſolent eſſe) modicè non modò aſtrictis verumetiam obſtructis, quominùs repentè veneni vis in viſcera principéſque partes inuadat. Magnum etiã adiumentum afferre ea ſolent quæ prætereà tenuium partium, ac vel acida vel leuiter tãtùm ϛυπτικὰ fuerint. Cõmune eſt autem his atque illis corpora vt exiccent atque in ea ſeſe promtiùs inferant & inſinuent: ſed illa tamen propria incidendi aperiendíque vi putredinem ſimul etiam cohibent: hæc verò frigore & aſtrictione leui (quę cum ſubſtantiæ tenuitate ad maiorem penetrationem nõ parum facere videtur) infarctus & expediunt & expurgant, ſpiritúſque ſanguinem ac reli-

quos

quos humores dum infrænant atque reprimunt, eoſdem abſumi minimè patiuntur. Sunt & ἐκ τῶν ἀντιφαρμάκων ordine nonnulla maiore tantáque aſtringendi vi prædita quanta quæ Græcis ϛύφοντα, Latinis acerba ſunt appellata. Ea vniuerſa craſsiorem ſubſtantiam ſortita ſunt:qua ex re fit vt dum vaſorum oſcula cutiſq; meatus occludũt,ad peſtilentiam omnino nihil proſint, obſint verò plurimùm. Concedent enim hoc nobis Hipp.alumni hauſtu inſpirationéve, quàm perſpiratu venenum peſtilens ſæpius in nos intrò ſubire.Hoc igitur vbi in cordis arcem irrepſerit,dum viam exitui nullam nactum intus continetur,arctiùs ibidem coarctatum vires colligere fit veriſimile,quibus ipſi tandem cordi perniciem præſentiorẽ inuehat. Ex veneno autem perſpiratu ſubeunte modò dictis contraria omnia videntur accidere:qua enim pollent aſtringendi vi talia ſeſe inter cor & venenum media interponunt nullo ferè neque metu neque periculo. Nihilominꝰ quia rariùs illud euenit,acerba ferè maiore ſtudio hoc caſu fugienda : illa verò memorata antè tũ calida tum etiã frigida in alexeteriis frequentiſsimè ac ferè ſemper vſurpanda eſſe nobis nemo non dederit.Horum verò ipſorũ alia rurſum ſimplicia cùm ſint, compoſita alia:de ſimplicibus quidem, quoniam naturæ ordine priora ſunt,priore etiã loco diſſeremus è ſuis quaſi ſedibus ſin-

Gal.1.de diff.feb. cap.4.

3 gula promentes. His autem ex locis ad vſus expetũtur, ab animantibus, verbi gratia, eorúmq; partibus, & excremẽtis: à plãtis itẽ totis earũq; partib9, radicib9 nimirùm, lignis, corticibus, foliis, floribus & ſeminibus: quib. adde ſuccos, lachrymas, liquores & gummi genera varia. Eruuntur & è fodinarum theſauris terrarum genera complura, gemmæ, metallica. Ab hiſce poſtremis eorum quæ ad arcenda peſtilentiæ cõtagia petuntur tractationis totius initium tentãdum duximus.

Terræ. Bolus armena Galeni, quam πηλὸν ἀρμενικὸν vocat Actuarius, tanquã vi ſiccãdi quàm terra Samia maiore prædita, ad omnia quæ exiccari deſiderant mirè efficax, arcendæ pariter propulſandæque peſtilentię gloria cæteris auxiliis omnibus antecellit, & ita vt vel ſola Galeno tanta gloriatione digna videri

Lib. 9. ſimpl. poſsit. Verùm quæ paſsim hodie diſtrahitur in Pharmacopoliis boli armenæ Orientalis inſignita nomine, vera non eſt armena: neque ſeplaſiariis hoc dabit Galenus, germana vt ſit quæ tam longè lateque viribus notíſque diſsideat. Nam Galeni illa colore eſt pallido, hæc rubra vel certè rubicunda: illa promtiſsimè calcis inſtar piſtillo comminuta ſummum in læuorem ſoluitur, hæc aſperitatis non parum retinet, arenoſæ etiam ſubſtantiæ particeps contra quàm ferat Ga-

Ibidem. lenicæ boli diligẽs ac ſuis numeris abſoluta deſcriptio. Iam quis dubitet de triuiali ac vulgatiſsima

gatiſsima illa bolo ex Germaniæ fodinis aſportari ſolita, quæque veterinariis omnibus in vſu eſt frequentiſsimo: ſiquidem ea bolum armenam non magis refert quam argẽtum plumbago. Hanc potiùs rubricæ fabrilis cuius meminit Dioſcorides ſimilem aut prorſus eandem eſſe dixeris, medicamentis extrinſecus duntaxat adhibendis expetitam. Veram autem Galeni bolum memini me videre Monſpelij primùm apud clariſs. artis Medicæ Regium profeſſorem ac præceptorem mihi imprimis obſeruandum D. Laur. Ioubertum: eam ipſe à sereniſs. Salerni principe dono acceperat. Huic ipſi haud abſimilem, ne dicam eandem, non ſemel ſpectandam explorandámque nobis oſtendit, ac ei theriacę, quam Geneuæ his annis abhinc tribus parauit acer non minus ac diligens eximiáque ſimplicium peritia & cognitione clariſsimus Pharmacopœus Valerãdus Dõræus, immiſcuit. Huius anima iam ante annum in cœlum quaſi in domicilium ſuum emigrauit: illic cum Chriſto ac ſanctis Dei electis perpetuò victura vitam beatiſsimã. Sed ad rem redeo. Vtraq; aromaticũ quiddam odore ſaporéque præſeferebat, ore cõtenta ſeui aut butyri in modum liqueſcebat genuinæ boli notis omnibus adamuſsim reſpondens, colore pallido ad luteum vergente, arenoſi in ſe nihil habens vti quæ ſuppoſititia adulterináve nuſquam non in taber-

Lib. 5. ca. 72.

nis vænalis proponitur. Huc accedebat grauitas mediocris, substantia densa adeò, vt lapidis potiùs quàm glebæ faciem præseferret. Bolum huiuscemodi ex vino albo tenui modicéque diluto bibitam aduersus pestilentiam valere pro antidoto literarum monimentis prodidit Galenus: experientia hac annexa, quod in ea multò grauissima quæ sua ætate Romæ grassabatur quotquot hac sunt vsi, illico pristinę valetudini restituti fuerint, ac solis iis nihil profuerit qui essent alioqui insanabiles: qua de re quid ipsi sentiamus, huius neque loci neque temporis est. Sunt certè quidem è recentioribus non parum multi, qui in hac seu gleba seu lapide curandæ pestis spem nullam habeant. Nec desunt qui eius vsum in curanda peste planè improbent atque refugiant, maximéq; post dies tres ab ipso mali principio, posteaquàm videlicet venenata vis plurima iam in cordis arcem ipsam appulit. In sententiæ suæ patrociniũ causam hanc afferunt, quòd medicamẽtum hoc dũ diducta patentiáque venarũ ora cõmittit atq; ferruminat, simul venenũ ipsum simul ex eo corruptum sanguinem in cor vnde propulsabatur regerit, ac ita obstat quominus dirus tetérque tum spiritus tum vapor exhalare posit. En tibi dę boli armenæ natura ac viribus varias discrepantésque sententias: atque, vt catuli iã despecturi æquè

Lib. 9. simp. & Paul. Aegin. lib. 2. de feb. cap. 35.

cæci

cæci sunt ac modò nati, ita & veteres cæcos æquè in sua bolo, ac recentiores æqualésque nostros in bolo orientali. Hoc fortasse durius audentiúsque: verùm vt à maioribus olim, ita & hoc quoque nostro seculo huic medicamento effectis viribúsque maiora attributa testis est tum historia tũ ipsa experientia rerum magistra. Sed hæc ab iis, qui quòd intereà dum causis secundis obstinatè nimis pertinaciterque adhęrescunt, causam causarum rerúmque omnium moderatricem non viderunt, propterea cæci nobis sunt appellati: ab eodem enim vno tũ morbus hic est, tum eiusdem præcautio atque sanatio. Vtvt res habeat, in glebæ armenæ penuria, si videtur, ad præcautionẽ vsurpari poterit præparata bolus nostra quam vulgò Orientalem cognominant. Aiunt enim eam ipsam eadem ferè vi tũ alexeteria, tum etiã exiccante pollere, qua quidem vasorum ductus æquè atque illa cohibeat vt ne laxitas ingruens venenum excipiat, aut non mediocriter pertimescẽda fiat spirituum exolutio. His tantis de rebus prouectiorum vsúque peritiorum, non meum esto iudicium. Hanc porrò bolum orientalem plerique solertissimi diligentissimíque simplicium medicamentorum indagatores, ac præ cæteris eximius vir Matthiolus legitimam esse terram Lemniam existimant. Ego verò (quod tanti viri pace dixerim) eorum sentẽtiæ subscri-

Lib.5.de med.mat. bam potiùs qui vnanimes iudicãt Diosc. rubricam esse synopicam. Testimonio esse possunt non contemnendo Veneti negotiatores, qui quidem asserunt ex Synopis vrbis quondam Cappadociæ regione quotannis Constantinopolim importari solitam. Adde quòd vti synopidis huius tres esse species, rubram, minùs rubentem ac inter has mediam author est Plinius, ita & totidem vi- *Lib.35. cap.6.* suntur Oriẽtalis armenicæ boli differentiæ. Sed bolum ac terram Lemniam facultate viribúsq; pares crediderunt priscæ Medicinæ autores. Terræ quidem sigillatæ nomine vulgò ostenditur candida aut certè ex cineraceo colore candicans quædam terræ species (coniectura est veterum Samiam hanc esse) quam hodie Turcorum Imperatoris sigillo obsignatam cretam anatolicam vocant nõnulli. Verùm longè aliud fuit sigillum Lemnium, quod tum Græcorum tum item Arabum Medicæ familiæ ab effectis diuinum nominant. Id enim Galeno rubore est ita sa- *9. Simplicium.* turato vt à rubrica colore vix differat: gustu vis mordẽdi nulla percipitur: sed astrĩgit modicè, lubricũ, tenax item & viscosum est, vt irrigatum aut in aqua resolutum ex facili ceræ mollioris euadat quàm simillimũ. Terrę Lemniæ huiusce haud ita pridem copiam nobis fecit illustriss. vir D. à Granrys apud Rhetos Orator Regius quã pro genuina Cõstantinopoli sibi à fratre missam esse testabatur

batur: verùm quia contrectantis manus rubore quodam inficere videbatur, non concesserit nobis Galenus germanam ac legitimam eam esse: quin dixerit à vera terra Lēnia, cui tale quicquam efficere nusquam vnquam contigit, esse longè alienissimam. Cæterùm non dubia res est, eam quæ vbique locorum pro legitima Lemnia circunfertur ac in officinis ipsis obtruditur etiam, subrubra tantùm cùm sit ac multorum opinione ex alba illa antè memorata & Orientali bolo commistis parata, sinceram non esse, esse verò adulterinam, aut eam certè quidem quæ Galeno rubrica Lemnia vocatur à cognomine terra hoc vno differens, quòd contrectantis manus haud obscurè nec leuiter suo rubore inficiat atque contaminet. Superioribus hisce omnibus præstantia & bonitate inferior Creta Melitensis recētioribus dicta: hanc priscorum Samiam esse credidit D. Matthiolus, à quo vti & ab aliis plerísq; multis hæc ipsa ad arcendum pestilentiæ contagium non parum valere credita est: sed quoniam hanc gypso à circunforaneis impostoribus & circulatoribus adulterari fucaríque non insolens est, adulteria vtentibus in metu esse debent.

Ibidem.

Ibidem.

Terris antè memoratis odoriferum subnectere placet Ambarum quod cineraceum est, vel saltem lineis partim cinereis partim candicantibus interstinctum. De huius sub-

ſtantia & origine recentiorum Medicorum variæ ſunt diſcrepanteſque ſententiæ : affirmantibus nonnullis (in quibus eſt Garcias ab Horto) terræ pinguis ac fungoſæ quoddam genus eſſe. Aliis placet eſſe bituminis ſpeciem quibuſdam è fontibus aut ex ipſo maris alueo ſcaturientis. Auicennæ verò & Serapioni fungus eſt maritimus in alto concreſcens, qui quidem erutus inde vel aquis tandem ſupernatet vel immanioribus ſæuioribúſque procellis vnà cum ſaxis in littus ipſum propellatur. Sunt & qui exiſtiment à piſce quem *Azel* nominant auidiùs deuorari, eúmque præſtantiſsimũ cenſent qui exterati piſcis ſpinæ lumbiſve adhæſerit. Cæterùm nõ modò longiùs à vero abfuiſſe, ſed & magno in errore verſari videntur qui ridiculè nimis ſtercus eſſe quarundam auium maris colliſione à ſcopulis abraſum, item qui balenæ ſemen aliúdve excrementum aut maris ſpumam aut denique caphuræ genus quoddã eſſe ſunt arbitrati. Porrò quod ambar ſeu ambarum alij Hermolaus Orientale ſuccinum nominat, id ſine dubio in his eſt quæ cordis vires proprietate tuentur ac reficiunt, cerebrũ ſenſúſque omnes odore corroborans ſyncopen tollit, denique tum bibitum tum olfactum, authore Auerroë, aëri peſtilenti egregiè reſiſtit.

Lib. de arom. cap. 1.

Simeon Sethi.

Lib. 2. cap. 63.

Lib. Simpl. cap. 196.

Corollar. 119.

In Simplicibus.

Gemmæ.

Gemmis inter alexeteria & cardiaca ſuus eſt honos, ſua inquam authoritas : lapillos

vulgus

vulgus eósque preciosos nominat, quòd vt maioribus olim ita hoc quoque seculo extra precia omnia omnémque humanarum opum taxationem fuerint semper,& sint hodie quoque. Harũ fragmenta ramentáve in pharmacopoliis ad cardiaca variásque antidotos vsurpãtur, quibus pestifera lues tum arceatur tum etiam profligetur. Sed harum earundem vsus multiplex atque varius: assumtas enim alij, alij verò pectori è regione cordis appensas, sunt qui ore contentas, nec desunt qui cibis appressas plurimùm cõferre existiment non tam refrigerante simul & exiccante quã præcellente facultate pollent, quàm abdita substantiæ totius proprietate, forma nimirùm cœlitus & à rerum omnium parẽte Natura profecta ipsos vitæ spiritus & reficere & recreare potente. Sed vt in terris ita in his quoque sedulò attendendum illud etiámque atque etiam prouidendum, nequando adulterinę & factitię pro veris ac legitimis in vsum medicum veniant. Nec de nihilo est quod admoneo, quando corruptis his moribus huius generis plurimas in tabernis prostare palàm est, adulterinas quidem illas & supposititias pro veris ac legitimis. Adulteria indubitãter deprehendẽtur tum cote Naxia tum item pondere: cætera gemmis solo colore sunt affines. Huic verò imposturæ causam dedit infinita ac planè insatiabilis auri cupiditas. Nec enĩ fraus

vitæ vlla lucroſior eſt gemmis, quod & ætate ſua Plinius animaduertit. Tantâ ſcilicet eſt mangonũ & agyrtarum in gemmis effingendis & interpolandis calliditas atque malitioſa nimiùm ſolertia, quę exercitatiſsimos etiam fallat: vixque vllius ea oculorum eſt acies, quæ non vitrum aut cryſtallum in iis maximè gemmis quæ mendacio vitri ſunt imitabiliores pro gemmis ipſis accipiat. Craſsior ac conſpicua magis eorum impoſtura, qui torrentis cuiuſpiam impetu detritos ſilices gemmarum in vicem ſupponere non verentur. Cæterùm in gẽmarum vſu eſt hæc quoque adhibenda cautio, vt quas teri oportet ſuper lapide porphyrite perpetuò cõminuantur, dum redigantur in pollinem tenuiſsimum. Nam ſiue piſtillis ferreis ſiue in æneis mortariis contundantur, metus eſt ne vitiato ſapore contracto aut certè ferri metallicæ've alterius cuiuſpiã malignitatis admiſta portiuncula plùs obſint quàm prodeſſe valeant.

Lib. 37.

Smaragdo Scythico nihil aſpectu iucundiùs nec viridiùs omnino quicquam illi cõparatũ viret: quibus de cauſis aliiſque prætereà nonnullis ipſi à Theophraſto gẽmarum tertia perhibetur authoritas. Nos eidem primam inter lapides dignitatẽ hoc loco dabimus, tũ quia ſolus inter reliqua ſuã miracula, Plinio ac Solino teſtibus, contuitu oculos implet nec ſatiat, tum quia ad arcendam peſti-

Lib. 37. c. 5. Cap. 20. Polyhiſt.

lentiam ab omnibus omnium maximè commendatur. Nam si modò sincerus nec, vti ferè fit, marmoris frustis aut crystallo simillimè adulteratus inenarrabili virore vireat, nō modò potus sed & collo subnexus cor vt ab omni alia veneni labe, ita & à peste tueri creditur. Smaragdo forma & colore similis Iaspis γραμματίας ex eo nuncupatus, quòd per transuersum alba linea pręcingatur. Hic facultate ferè viribúsque smaragdo par, ipsa quoque Galeni ac Dioscoridis sententia. Is ipse verò est è quo conflantur preciosissima vasa murrhina appellata, iucundè adeò virētia vt smaragdina planè videri possint, nisi colore quàm smaragdus obtusiore atque adeò hebetiore cōspicerentur. Ioui Phœbóque antiquitus sacra Sapphirus gemma est in cærulearum genere splendidissima ac perquàm translucida, χρυσοστιγής Græcis appellata quòd punctis aureis splendescat atque colluceat. Vt ad scorpionum ictus Galeno prodesse scribitur, ita & anthraces profligare & à lue febréq; pestilēti liberare, denique pestiferis venenis omnibus egregiè resistere creditur. Cæterùm quæ vulgò in vsu est quia pūctis aureis velut interspersis haud quaquam collucet, adulterina sine dubio cēsenda est. Carbunculus colore puniceo ardet, ab ignium similitudine sic appellatus, cùm ipse ignes nō sentiat ac proinde à quibusdā ἀπύρωτος vocetur. Pyropus à rubore &

Lib.9.simp.
Lib.5.ca.93.

Lib.9.simpl. cap.27.

fulgore *Rubinus* vulgò nuncupatus, Carchedonius item quem *granatum* pasſim nominãt, adhęc Balagius qui & Palacius, hui9 ſpecies numerãtur ab Ariſtotele, vtpote cognatæ atque affines. Omnes verò hoc nomine celebres, quòd & viſcus nobilisſimũ cor reficere ſoleant & aduerſus peſtilentis aëris ſeminaria ex inſignibus cenſeantur amuletis.

Hyacinthum eundem eſſe cum lyncurio existimat Epiphanius: vis ei firmandi cordis nõ parua, qua ipſum illud viſcus à peſte tueri creditur, dum ſincerus & inculpabilis inueniatur. Eſt enim vitiis non obſcurè neque adeò parcè obnoxius, inquit Solinus: plerũque enim aut violaceo diluitur aut obducitur nubilo, aut quàm pro ſua natura albicãtiùs in aqueticum eliqueſcit. Optimus verò verò in illo & abſque alieno vllo infectu tenor eſt, ſi nec denſiore fuco ſit obtuſior nec propẽſa perſpicuitate detectior, ſed ex vtroque temperamento lucis ac purpuræ fucatũ ſuauiter florem cõtrahat. Hic *primo quoque aſpectu gratus* tandem *euaneſcit*, vt ſcribit Plinius, *antequàm ſatiet, adeóque non implet oculos vt penè non attingat, celeriùs marceſcens nominis ſui flore.* In alexeteriis Adamanti Cyprio non contemnenda authoritas. Eſt enim Plinio præcipui in Medicina vſus, & noſtris adeò efficax vt ſeu hauſtus ſeu ſiniſtro brachio adalligatus venena omnia irrita facere & peſtiferis cauſis eximiè reſiſtere

Lib. de 12. gemmis.

In Polyhiſt.

Lib. 37. c. 9.

Lib. 37. c. 4.

resiſtere credatur. Hic ab indomita vi, qua ictum omnem reſpuere nec vulnerari poſſe creditus eſt, nomen apud Græcos inuenit. Egregia quoque gemmarum ampliſsimo Topazio gloria ſuo virenti genere, inquit Plinius: quippe mirè pellucidus exiſtit, nec tralucet modò, ſed etiam fulget mirificè. Obtinuit verò id nominis vel à Topazo quę inſula eſt ad mare rubrum vbi frequentiſsimum reperiri volunt, vel, ſi Epiphanio fides habetur, à Topaz vrbe Indiæ in qua naſcitur. Eius genera duo fecit Plinius, πρασοειδὲς à colore viridi planéque porraceo ſic dictũ, & χρυσόπτερον ſeu potiùs χρυσόπτεριν. Hoc vtrunque genus, arbitror, vt venenis aduerſiſſimum & ad ea theriaca etiam ipſa valẽtius celebrauit Serapio: rémque ita habere affirmat Raimundus Vinarius, ídque tum Arnaldi authoritate fretus, tum ſuo ipſius experimento doctus gẽmam eam ſimul ſumtam venenum foràs & antrorſum propellere, ſimul admotam idipſum ad ſe allicere. Achates olim ſacra Mercurio gẽma, reperta primùm in Siciliæ fluuio eiuſdem nominis, poſteà plurimis locis. Et coloribus admodũ varia eſt, vt quæ ſubcærula candidam extrinſecus inſtar marmoris aut eboris habeat παρεμφέρειαν, & rerum imaginibus à natura ipſa formatis, quas ſeu lineis ſeu zonis inuicem ſeſe intercurſantibus repræſentat. Hãc eandem vt & antè memoratas cor ipſum recrea-

Lib.37. cap. 8. & lib.6. cap.29.

Lib. de 12. gemmis.

Lib. de peste 2.

re, aduersus scorpionum ictus auxilio esse ac venenatæ pestilentíque materiæ toto genere aduersari proditum est. Eodem omnino modo de Sardonio seu Sardio lapillo iudicant rerum harum periti, quam eandem quod carnis ruborem æmuletur vulgô *Carneolam*, rudiùs *cornalinam* nominant. Iudæi tamen Sardium nostrum esse *Rubinum* indubitanter asserunt. In magna quoque authoritate fuit estque hodie Iaspidis species, quam quia colore aëri cœlóve autumnali maximeque matutino non sit absimilis ex eo credimus ἀερίζουσαν esse appellatam. Nō dubia res est *Turchinam* eam seu *Turcicam* vbique hodie nominari, ducta seu à Turcis seu à colore cæruleo, quem Itali *Turchinũ* dicunt, appellatione: etsi hanc eandem Dioscorid. thyiten alij, alij eranon, cùm fortè cyanon dicere vellent, esse censuerunt. Vanũ verò nec à superstitione alienũ id est quod à Persarum regibus translatum esse volunt, nimirùm in hæmatite lapide figuram hominis insculpere genibus flexis & serpēte cincti vt dextra manu caput, sinistra caudam teneat: tùm in aurei annuli capsulam lapillũ ipsum immitere, sed priùs subiecto herbæ serpētariæ folio, eúmque tandem annulum gestare ad pestem venenatámque omnem materiam præcauendam.

Diosc. lib. 5. cap. 117.

Card. de subtil.

Marsil. Ficin. epid. antid. cap. 7.

Metalla.

Porrò metallicis quibusdam suas etiam esse vires alexeterias & priscorum testatum

est

est autoritate & ipsa comprobat experiẽtia. Auri enim obrizi vtpote metallorũ purissimi preciosissimi atq; tẽperatissimi foliolis ac velut bracteolis vtũtur Medici vt ad melãcholicos affectus, ita & ad cordis hilaritatẽ eiúsq; ipsius ac totius naturę robur: vitali siquidem spiritui ac viribus omnibus refocillandis, erigendis atque firmandis cumprimis cẽsetur efficax & per quàm salutare, quas quidem illius facultates Solis influxui acceptas Physicorum plerique retulerunt. Argentum similiter foliaceum auro etsi multò imperfectius atque impurius, illius tamen vires quadantenus æmulatur. Cardiacis melancholicísque affectibus non parum vtile cor ipsum ab omni labe tuetur, sed iam metallicæ malignitatis est quodammodò particeps. Ocultiore autem vi tũ arsenicum quod crystallinum quidam vocant æquè ac rubrum, tum & hydrargyrum, vniuersa inquam hęc collo subnexa & cordis è regione gestata hoc ipsum ab omni veneno sartum tectúmq; tueri creduntur, siue quòd abdita quadam vi venena sunt venenorum antidoti, vti voluit Zoar, siue quòd viscus ipsum veneno tempore ac sensim assuetum irrepentis alterius veneni vim omnem respuit neque adeò tam facile ab aëris venenata qualitate offenditur. Eadem ferè concordiæ

discordiæque ratione quæ Græcis sunt *συμπάθεια* & *ἀντιπάθεια* in vsum medicum venit stibium, quod Medicorum vulgus *antimonium* vocat: lotum enim aut arte preparatum id naturam assequitur propè rosionis expertem. Est hoc hodie in vsu fortè quàm par esset frequētiore, vt cuius preparati & assumti aut potiùs ei9 ipsius ex vino diluti ad profligādam pestem vis esse maxima credatur. Sed in eo propinādo hanc certè velim adhiberi cautionem, ne nisi duris ac robustis corporibus exhibeatur, vt quæ sola valētiorum huiusmodi medicamentorum vim innoxiè perferre posſint. Est & hic tenendus modus, ne amplius trium quatuórve aut ad summū quinque granorum pondere hauriēdum deglutiendúmve præbeatur. Quòd si copia maiore exhibitum fuerit, metus esse debebit, ne quâ suapte natura pollet erodēdi vi & dolorem & vlcus in ventriculo aliáve parte faciat vix vlli remedio cedens omninóque insanabile: quod hominum nostratium non paucis accidisse vsu ipso compertum exploratúmque est.

Animātiū partes & excrementa.

Inter ea quę ex animalib9 animaliúmve partibus aut excremētis alexeteria petuntur principatum obtinuit lapis cui nomē *Bezoar*. Is quidē vt longè nobiliſsimus atque pręstantiſsimus, ita & miris à Medicis Arabibus laudū præconiis est celebratus:

sed

ſed hominum iniuria & neglectu iam intercidit, vt nullius propè ſit hodie in Medicina vſus. Atque vt rem ipſam ante legentium oculos ponam, idem hic lapis columellæ aut certè glandis & formam & molem vtplurimùm refert: aliàs tamen alia atque alia forma conſpicitur, magnam partem læuis, colore ceu ex viridi nigricante aut ſubcinereo. Eſt in Perſide hircorum quoddam genus (*Pazam* ipſi ſua lingua nominant) in cuius ventriculo ferè inuenitur circum tenuiſsimã paleam ibidem cõcreſcens ac ita ſenſim augeſcens, vt erutus inde velut ex plurimarum tunicarum inter ſe contextu compoſitus ſpectandum ſeſe præbeat. Odor huic nec gratus eſt, nec etiam ingratus. Sapor primo ſtatim occurſu haud ita iniucundus: ſed diutiùs tandem ore contentus graueolens & hircinum quiddam reſipit. Vis lapidis ea eſt vt nõ modò hauſtus, ſed & vel lingua circumactus vel aliter ore volutatus aut (quod mirandũ magis eſt) ex ceruice ſuſpẽſus vel ita alligatus vt nudam ſiniſtri lateris carnem contingat, nullis ex præſtantiſsimorum genere quantumuis eximiis aduerſus venena præſidiis cedere videatur. Peſtilenti è carbunculo ſi vel cruſta excidit vel emiſſarium natura aut ſcalpello vllum eſt, impoſitus lapis venenum protinus totum exugit. Tanti olim facultatum harum gloria fuit, vt pro eo vnico nobilis viri Mamari filius magnifi-

Garcias lib. de hiſt. arom. Indiæ.

centiſsimè extructum ac propè regium pa-
latium quod tum Cordubæ habuit repẽdiſ-
ſe dicatur. Illud verò ſuperſtitione non va-
cat, quin potiùs profanũ eſt omnino quod
multorum ſermone ſcriptiſque quoquover-
ſùm perfertur, thus quod ab eo lapide ſtatis
temporibus inſculpti ſcorpij effigiem rece-
perit vires lapidi ipſi pares obtinere. Huic
alterum *Bezoar* ſed inuentu longè rariſsimũ
præferri teſtis eſt Garcias ab Horto. Hic *Ibidem.*
verò lapis in Pam regni Malacenſis prouin-
cia è felle hyſtricis non promiſcuè cuiuſuis
nec ſemper, ſed interdum eximitur purpuræ
dilutioris colore, guſtu amarus, cõtactu læ-
uis ac lubricus. Atque vt ad rem: hic ipſe
non minùs quàm prior ille putatur egregiè
ac propè miraculi inſtar venenis omnibus
reſiſtere. Tertius his accedit ad ruborem
vergens, durus admodùm, caſtaneæ glan-
díſve imaginem & formam quadãtenus re-
ferens, lachryma cerui locorum ac gentium
vbique dictus. Eum ex doctis plerique cen-
tenis annorum conuerſionibus ceruorum
oſsibus ad oculorum angulos ſitis adnaſci
exiſtimant. Attamen vero ſimilior probabi-
liórque eorum, iudicio meo, videtur eſſe ſen-
tentia, qui lentum humorem aſſeuerant ſta-
tis anni temporibus è ceruorum longo iam
ſenio confectorum & ex aquis emergẽtium
oculis defluere, qui poſteaquàm humi deci-
derit Solis ardoribus in eiuſmodi lapidem
tandem

tandem aliquando concrescat. Ex iis qui de pestis alexeteriis scripsere non desunt qui commendent ex aspidis capite lapidem, siue suspensus eum euomat, siue dissecto capite is eruatur. Eiusdem venenatæ bestiolæ lingua Picus ætate sua vtebatur. Est sua buffonio quoque lapidi (vulgò *crapaudina*) gloria, quem cum chelonite perperàm nõnulli cõfundunt: sed hoc ei lapidi vnanimes omnes ferè tributum volunt, presentissimo & efficacissimo esse ad pestem auxilio. Ceterùm in nuper natis aut etiam annotinis seu ranis rubetis seu buffonibus inueniri vix potest. Annosiores esse ac dudum in arundinibus rubetísve inter sentes ac vepres delituisse non dubitandum, priusquàm lapis in capite concrescat, magnitudinis certò quidem eum quo spectatur modum assecutus. Materia interim è qua gignitur alia non est, quàm quod in dies è terra contrahunt sibíque asciscunt buffones dum illam hinc inde circumlambunt. De Margaritarũ origine ac genitura Authorum sunt variæ discrepantésque sententiæ, nonnullis esse dicentibus electorum ac preciosorum quorundam cõchyliũ partus, vti refert Plinius: aliis conchyliorum eorundẽ ossa putãtibus, quo ex numero, teste Athenæo, clarus imprimis Chares Mitylenæus. Sed his Philosophica ratio nulla suffragatur. Etenim quis, qui modò Philosophiæ prima elementa didicerit, credere

Lib. 9. cap. 35.

Lib. 3. dipnos.

vnquã aut admittere poſsit, ex animali inanime quiddam ac non potiùs ipſa forma ſimile generari & excludi. Adde quòd eiuſce generis aquatilia tum ſponte generantur omnia, tum neque aliud quicquam ex ſeſe procreant. Nec minùs abſurda illa de oſsibus opinio: quando ſi forent oſſa margaritæ, aut tanquam corporis partes ad conchyliorum fabricam perpetuò neceſſariæ in iis omni tempore reperirentur, quod tamen à vero alienũ eſſe ipſa *αὐτοψία* per ſe ſatis indicat: aut oſsibus etiam non minùs aptè aſcribendi forent renum & veſicæ calculi hominum quibuſdam diro cruciatu ſubinde naſcentes. Horum exploſis ſententiis ſuadet ipſa ratio clariorem planéque perſpicuã Androſthenis & Iubæ opinionẽ vnà cũ piæ memoriæ præceptore Gul. Rondeletio Medico clariſs. amplectamur, nimirùm in oſtreorum carne gigni margaritas haud ſecus atq; grandinem in carne ſuũ, eáſque ex humore quidem pariter craſſo ac viſcoſo, attamen ſincero puróque. Nec verò hæc ita accipi intelligíve debent, quaſi in vno eodémque conchæ genere naſcantur: cùm aliàs in oſtreo ſtriato pinnæ alioqui ſimili quam *Aſturam* Veneti nuncupãt, aliàs in eo quod Indis *Berberis* dicitur pectini haud ita multum abſimili, aliàs denique in magno eóque oblongo quodam oſtreo inueniantur. Rurſum & eorum ipſorum quæ ſummo mari

Lib. de piſcibus.

natant

natant, grãdiores margaritas generant: quæ verò in alto degunt, minutiores proferunt: hæ ſimpliciore vocabulo margaritæ, illæ vniones dicuntur. Et ex his quidem Orientales omnium laudatiſsimi: vt qui in conchis etſi conuexa externáque parte obſcuris ſcabris & impolitis, concaua tamen (quæ & interna eſt) læuiſsimis cãdidis & aſpectu omnino pulcherrimis geniti non ſola magnitudine, verumetiam colore, forma orbiculari, læuore, pondere atque adeò ſplendore cæteris antecellant. Sed vt inſtitutum noſtrum perſequamur, Auicennas & Serapio Medici inter Arabas præcipui exiſtimarunt corde malè affecto ad ſpirituum inſtaurationem gemmas huiuſmodi præcipuè opitulari, ſyncopen maximeque cardiacã tollere, putredini quæ cor obſederit peſtíque ac venenis omnibus potenter obſiſtere, ac proinde ad cardiaca medicamenta præter omnia auidiſsimè expeti. Os è corde cerui cor hominis ſubſtãtiæ ſimilitudine recreare atque roborare, pariterq; ad ſyncopen & cardiacam affectionem eſſe imprimis vtile cum Arabibus ſentit è recentioribus Græcis Actuarius. Sollicitè verò atque accuratè cauendum, ne huius vice (quod cæco quorundam de rebus iudicio non ſine fraude fieri aſſolet) aſperam arteriam bubulam ſiccitate duritiáque oſsi ei ſimillimam vſurpemus. Cornu quod è media μονοκέρωτος fronte ab-

ſciſſum eſt, id etiam quod in nare ῥινοκέρωτος vnicum ac repandum aſpectabile vſúque va rium quouis eſt oſſe durius, etſi non ſunt ad-modùm à maioribus artíſque Medicæ pro-ceribus celebrata, omnium tamen potentiſ-ſimè recentioribus creduntur cor tueri, ve-neni vim impetúmq; omnem obtundere ac peſtilentium affectionum perniciem & le-nire & propulſare, denique memoratis antè cęteris antidotis gloria antecellere. In vi-cem horum ac pro ramentis ipſis ab impo-ſtoribus vbique vænalis proponitur foſsilis terra quædam duriſsima, quæ tamen ipſa ex Gargano Apuliæ monte effoſſa aduerſus venena propriam nec mediocrem laudem obtinuit. Verùm certiore profectu, fraude nulla, eruditorum ac noſtro quoque iudicio, aptiùs Ceruinum cornu ſubſtituetur, maxi-méque dextrum, vt quod, Solino teſte, læuo ſit ad medelam efficacius. His ſubſtantia viribúſque proximum Ebur in ſcobem te-nuiſsimam redactum fertur itidem tota ſui ſubſtantia cordis roborandi facultate præ-ditum. Sericum quoque crudum in tenuiſ-ſima conciſum aut etiam vſtum atque tritũ vitæ principio robur cõferre ipſóſque adeò ſpiritus inſtaurare tum Serapio tum & Aui-cennas literarum monimentis tradiderunt.

In Polyhi.

Eſt & magnum quibuſdam in odoramentis auxilium veluti Moſcho, de cuius natura hęc & audiuimus & legimus: peti nimirùm ge-nus

nus id odoramenti è vomica paulò infra vm bilicum sita capreoli, vt nonnulli, vt alij (quod vero propius videtur) damæ cuiusdã quæ *Gazelæ* vulgò dictę sit quàm simillima. Hæc nanque dum furoris atque insaniæ vehementia in venerem acta sese humi volutat aut obuiis lapidibus affricat, instar guttarum crassi fæculentíque sanguinis ex ea vomica quiddam exprimitur quod moschi nomen adeptum ad vsum reponitur. Quæ verò sanies execto folliculo manat, præcox ea & immatura adhuc necnon odore graui ac viroso prædita tetrum illũ grauémq; odorem non priùs deponit quàm aprico diutius exposita planè maturuerit. Cæterùm Moschus perquàm suaui suo odore vitæ spiritus auget & instaurat, languida viscera ipsúmque omnium maximè cor firmat roborátque, imminutas vires ac resolutas etiam sarcit cardiacísque affectibus leuamentum affert, sed imbecillum tamen cerebrũ ac biliosis præsertim naturis grauiter ferit. Sunt alia plura huc pertinentium odoramentorum genera, sed obscurantur minoribus maiora. In his est maximè ad eadem propè atque moschus efficax odoratissimum *Zibettum*, quod aliud nihil est quàm semen saniésve è cati Syriaci (melim hic quadantenus æmulatur) genitalibus loculis emanans, vel potiùs eiusdem animalis strigmentum quod in-

ter teſticulum vtrunque concreſcat: hoc inde corneo argenteóve cochleari deraſum & exceptum memoratos ad vſus ſtudioſè reconditur. Præter hæc alia longè plurima ab animalibus aliis atque aliis pe-
tita inueſtigauit hominum curioſitas nimis magnum ſtudium multámque operā ad ea congerenda ponentium. Huiuſce generis volunt eſſe Buffonis vſti cineres ſi cordis è regione applicentur, Ranarum puluerem cum zingibere, Ciconiæ pulli recens in lucem editi cineres ex vino potos, Ciconiæ etiam adultæ ſanguinem atque ventriculum, Aquam ſtillatitiam è fimo bubulo vt & è ſanguine maialis. Sanguinem præterea leporis aut anatis potiſſimúmque Ponticæ, gallinæ ſerpentibus enutritæ, anſeris & hœdi, Viperarum carnem atque ſcorpiones. Adduntur hæc inſuper de quibus dubites horrendáne magis an ridicula, Stercus pueri cū moſcho ex vino potum, tetrum minùs eiuſdem Lotium, Stercus columbinum ad ſuffitū incenſum vel ex aqua bugloſsi hauſtum, terræ inteſtina Lumbrici, Caſtoreum ad pleraque etiam alia vtile: quod ipſum è fibri non quidem teſtibus, vt falſò credidere non parum multi, ſed è folliculis eiuſdem ad inguina ſitis eruitur. Ego id genus alia omnia ſciens voléńſque impræſentiarum omitto, quoniam his præ-
ſtantiora

ſtantiora alia longè plurima multóque vſu & experientia cõprobata magis auxilia vndique nobis affluunt. Adde quòd in ea recenſenda ſimplicium magna congerie iam fuiſſe me longiorem agnoſco, ſiue quòd ex iis non parum multa pleriſque ignota vel improbata iacerent aut eorum certè origines adhuc ancipites atque dubiæ in obſcuro laterent, ſiue quia cùm pro legitimis adulterina magno ægrotantium incommodo paſsim vſurparentur, hæc ab illis vt eſſent internoſcenda docere neceſſe fuit.

Hucuſque primùm quidem quotquot ferè in terreſtrium, gemmeorum metallicorúmque corporum ordine cenſentur peſtis ἀλεξητήρια perſecuti ſumus: deinde & ea quæ in eundem vſum ex animalium partibus & excrementis depromũtur qua potuimus breuitate ſubiecimus. Iam tertij ſunt ordinis quæ ad plantas ipſas pertinere videntur. Has vtpote ῥιζοτόμοις φιλιάτροις ac Medicinæ candidatis penè omnibus notiores magíſque perſpectas nos minore quoque negotio ſtrictim curſimque perſtringemus: ac eas quidem priore loco quas authoritate atque honore dignas maiore propterea iudicamus, quòd partibus ſui omnibus totæque tum vitæ principio robur conciliare tum aurę peſtilẽtíq; materiæ aduerſari vſq; creditę

ſunt:cæteras deinde annectemus quæ aliqua potiſsimùm ſui parte iuuare cēſetur.

Oxalis igitur, oxylapathum & acidum trifolium ſeu iuliola acida, quæ Plinio eſt ὀξύς, vſu frequentiore cor firmare, peſtilens virus retundere, denique putredinē arcere cohiberéque reapſe & poſſunt & dicuntur. Sunt qui earundem plantarum folia maximè dilutiore oxycrato præmacerata eos in vſus atque profectu eodem ieiunis mandenda deglutiendáque ſuadeant conſultoribus ipſis minimè malo conſilio: iucundiora aliis gratioráque è ſuccis parata ſerapia. Ipſum verò oxalidis ſemen cordis & ſtomachi vitia alioqui inextricabilia & ſcorpionū ictus ſtrenuè perſanat. Bugloſſum vtrunq; tū qđ plerisq; cirſium, falſò autē bugloſſū nūcupatur tū qđ legitimi bugloſsi deſcriptione expreſſum vulgò *borrago* dicitur, cordi familiare & amicū eius ipſius affectibus prę ſetiſſimo maximóq; eſt auxilio: nā & eidē viſceri robur affert, & ab eo noxia omnia malignáque depellit: eoſdem in vſus flores radicéſque ſaccharo condiuntur atque conſeruantur, ſucci verò ipſi in ſerapia coaptantur. Sonchi Latinis cicerbitæ vulgò *Lactucella* herba ſimul & radix ipſa virium ſunt aduerſus venena magnarum adeò, vt muſtela cum ſerpentibus pugnatura cicerbitæ paſtu non minùs quàm

Plantæ totæ.

ruta

ruta aut verbaſco ſeſe muniat, ac eadem inter dimicãdum crebrò repetita ſeſe refoueat. Σέρεως tum ſatiuæ tum & erraticæ quam picrim ſeu cichorium nominant vis & efficacitas maior: hoc enim genus vniuerſum vt ventriculi ac iecinoris, ita & omnium maximè cordis confirmandi vi pollet: quem ad vſum tum ex his ipſis tum ex reliquo intubaceo genere ſyrupus conficitur, qui viſcera omnia leui aſtrictione corroborat peſtilentiúmque febrium initiis accommodus atque ſalutaris exiſtit. Cyanus Plinij venenis omnibus reſiſtere ac peſtilenti etiam perniciei propria dote aduerſari creditur.
Cnici ſylueſtris genus alterum cardui benedicti appellatione vulgò notum magni nominis eſt contra peſtilentiam & venenorum lethalium omne genus: quin & ad eadem efficax totius plantæ liquor ſtillatitius: nimirùm aduerſus putres venenatos atque adeò peſtilentes affectus magni imprimis momenti. Negant enim peſtis experiri cõtagia qui eum pręſumſerint, & iam correptis præſenti admodùm remedio ſibi vulgus eſſe perſuaſit. Ipſo verò ſemine ad eadem vtuntur ad quæ citrij mali ſemen vſurpari ſolet, efficacitate, vt volunt, non minore. Succiſæ, quæ & morſus Diaboli, radicem per ſe comeſtã aut ex vino in quo incocta fuerit bibitam

aquam etiamnum vaporarij calore ab eadem elicitam arcendæ auræ pestilenti plurimùm valere certum indubitatúmque est: planta verò tota recens cruda tusáque præsentaneo remedio carbunculis pestilentibus imponitur. Sic scabiosam (fortè Aëtij ψώραν) modo quouis haustam iteratámque subinde protinus pestilentium morborum virus è corde foras vnà cum sudoribus extrudere recentioribus in confesso est: atque vt epotam interiores abscessus rumpere, sic & illita bubones & carbunculos citissimè discutere aiunt, tantáque celeritate & efficacia vt intra horarum trium spatium tumores eos penitus aboleat. Hypericũ esitatum haustúmve non minùs quàm eiusdem epotum semen auræ pestilenti veneníque omnibus aduersatur. Nec desunt qui μονόφυλλον cum radice ex vino alióve idoneo liquore ipso statim initio mali potum ad pestilentes bubones efficax esse pro comperto asserant. Vettonicam altilem seu coronariam in hortis vbique frequentem acerrimi iudicij vir Iulius Scaliger Theophrasti φλόγα siue φλόγιον esse autumat. Huius radices ad pestis arcenda contagia mirificè cõmendantur à recẽtioribus, nec his minùs suaueolentes flores, ex arte si condiantur: quin & ipsi vel odoratu ex aceto saluta-

Exerc.141.

res

res exiſtunt. Præclarè autem ſcriptum à nonnullis eſt, expreſſum è foliis ſuccum à morbo, ſi iam inuaſerit, liberare. Betonicæ quam Greci κέστρον vocant tantum gloriæ eſt, vt præter dotes alias eximias in puluerem cōminuta folia venenis omnibus aduerſari ſit obſeruatum, ac venenatorum rabidorúmque animantium & ictibus & morſibus præſentiſsimo ſint auxilio:in quos vſus ex vino fœliciter exhibentur,medicamento eam prætereà dotem adepto,vt qui integer adhuc necdum læſus eo vtitur à veneno planè tutus euadere credatur. Nec deeſt radici ſua laus, vt quæ geſtata cor ab omni veneni genere ſartum tectúmque tueatur. Trifolium quod Græci ἀσφάλτιον aut μινυανθὲς Columella Symoniacum, Latini cæteri cúmque his Scribonius Largus à figura trifolium acutum appellant. Celebratis authoribus contra omnia venena id eſſe pro antidoto, aliáque prætereà non pauca in remediis eius aſcribi tradidit Plinius: quanuis & ipſe, quia venenatum dixerat Sophocles Poëta, eo non niſi contra venena vtendum cenſet, quòd fortaſſis & iis venenis, vt idem ait, contraria ſit natura ſicuti multis aliis. Verùm tum Sophoclis illud, tum quod in eadem verba ſcribitur à Galeno de trifolio potiùs accipi debere indubitatum eſt quod vene-

Cap.21. lib. 21.

nato ictui morsuíve priùs adhibitum fuerit indeque parem veneni labem contraxerit, quod & ipsum Dioscoridis expressa verba palàm faciunt.

Lib.3.cap. 106.

Radice.

Vulgarem Zaduram, quæ & zedoaria, nõnulli costum Dioscoridis esse legitimum autumant: falsóne id an verè alterius est & temporis & loci. Quòd ad rem attinet, virulentorum animalium morsibus atque ictibus venenatis vnicè opitulatur: mansa epotáve aut etiam ore contenta venenatos ac pestilentes halitus pellere creditur. Ea verò radix nisi genuinus est Costus, huius certè loco sat cõmodè substitui potest gustatu, acrimonia, odore ac viribus proximũ veterinariorum Laserpitium Gallicum, hoc est, Angelica seu Imperatoria tã syluestris, quàm quæ in hortis passim seritur colitúrq; studiosè. Huius species duas esse volunt, marem vnam, alteram fœminam. Vtraque venenorum generi ferè omni, venenatarum bestiarum tum morsibus tum etiam ictibus opem & auxilium singulare præstat. Seu hausta seu commanducata sensim, seu denique naribus admota pestilentiæ populatim longè latéque sæuientis arcet contagia, corporáque à pestifera lue vindicat. Trita vel olfactu solo deliquiis animi cæterísque in vniuersum cardiacis affectibus opem mirificè præstat. Exhibiti succi vis & efficacitas maior, vt qui peste correptos, dum vrina & sudore

dore venenum abigit, magnoperè & recreet & reficiat. Ob hasce tantas támque raras atque adeò præstantes dotes à recentioribus opinione magna variis antidotis inseritur.
In hoc genere Myrrhidi quoq; eximia laus, vt cuius radices bis térve die potas ex vino in pestilẽtia salutares apprimè esse, ac ne qua contages vsquam vnquam irrepere possit etiamnum prohibere prodidit Dioscorides. *Lib.4.cap.3.*
Hæc verò notis nullis refragantibus ea ipsa est quam suis numeris omnibus expressam Matthiolus spectandam proposuit, quámq; nuperrimè ad nos Francofurto misit Thomas Penny Anglus Medicus doctissimus mihíque cumprimis amicus nec ita pridem contubernalis etiam. Doronicum Orientale à Romano Doronico diuersum Paulo & Aëtio Arnabo, aliis zarnabum seu zarnabadium dicitur: radix intus alba, foris subflaua, pollicis crassitie, nodosa, grauis, densa: hæc cordis palpitationi auxilio est, venenatis morsibus & ictibus succurrit: denique cor ipsum peculiariter roborat.
Scorzoneræ seu viperinæ radicis frustulum quotidie comestum cœli pestilentis malignitatem arcet ac venenis quibuscunque resistit, tristitiam verò ita discutit hilaritatem vt conciliet. Succus è foliis & radice elicitus simul aduersus viperarũ venenatorúmque quorumuis aliorũ ictus, simul ad omnes pestilentes morbos præsentaneo remedio

potandus exhibetur. Hanc narrauit nobis non ſemel idem ille Thomas Penny (quem rurſum honoris cauſa nomino) frequentem in ſylua quadam non procul ab Aureliis reperiri. Eadem præſtare creditur Antitorę radix, quę cum Auicennæ Zedoaria aut napello Moſis eadem eſſe videtur: hæc enim ſiue diuerſa duo, ſiue (quod magis placet) vnum idémque ſint proximè napellum quem *Toram* nominant ferè naſci memorię mandauit Auicennas. Ariſtolochia cùm omnis tum vel maximè rotũda vti ex mero pota veneni aſſumti vim frãgere, euincere ídq; ipſũ diſcutere, ita & ad peſtẽ auxiliari fertur.

Apul. de medic. herb. cap. 19.

Ad eundem modum Anchuſæ eius quã Alcibiadion dixêre radicem æquè ac ipſa folia tum illitã tum ſuſpenſam tum item comeſtã contra generis omnis virus vim habere maximã Dioſcorides & Galenus ipſe apertè teſtantur. Chamæleõ albus vulgò *Carlina* quaſi Carolina dicitur, ídque hac, vt volunt, ratione, quòd eã ipſam Magno olim Carolo regi ad propellendã exercitus peſtilentiam ab Angelo indicatam velut antidotum omnium lõgè prę-ſtantiſsimam vulgus credidit. Huius radices vt ſerpentum venenis obſiſtere dicuntur, ita etiam ad arcendam peſtem miris laudibus à pleriſque commendantur: vtiliter quoque ſuccus in eoſdem vſus propinatur

Cap. 4. lib. 3. Lib. 6. ſimpl.

pinatur. Sed vtinam tantum in re ſit, quã-
ta ipſa eſt hominum exiſtimatio. Pumi-
la fraxinus ſeu fraxinella herbariorum,
quæ vulgò Dictamum ſeu Diptamum al-
bum nuncupatur, ſuapte vi pollere tradi-
tur aduerſus lethalia venena omniúmque
venenatarum beſtiarum morſum ictúm
que: nec minus aduerſus peſtilentium fe-
brium malignitatem quocunque ſuma-
tur modo præſtare, earundémque perni-
ciem lenire creditur. Pharmacopœorũ
Biſtortam Apuleius viperinam aut ſerpẽ-
tariam nominaſſe videtur: hæc verò vti
& ἑπτάφυλλον, quę vulgaris eſt Tormentil-
la, tenuium eſt partium cum aſtrictione
leuicula. Vtraque aduerſus toxica ſerpen
túmqne & ſcorpionũ ictus ac peſtem etiã
ipſam ex vino bibitur. Earundem aqua
duplici organo elicita, decoctum item è
radicibus omniúmq; maximè ſuccus ipſe
venenis omnibus remedio ſunt, atq; ideò
expetuntur etiamnum antidotis quæ pa-
rantur aduerſus peſtem peſtilentéſque fe
bres, tum alias omnes tũ vel eas maximè
in quibus ἐξανθήματα emerſerint. Nec
deſunt qni pampinellæ ſeu bipinnellæ v-
triuſque radices ad peſtilentiam, conta-
gioſas peſtilentéſque febres miris laudi-
bus efferant. Phu Græcorũ Valerianæ
Officinarum radix vti ad veneniferorum
ictus nõ parum confert ex vino potui da-

Cap. 5. lib. de medic. herb.

ta,ita & aduersus pestilentiam non modò hausta,sed & olfacta valere creditur. Helenij quoque seu Inulæ radix venenatos morsus abigit, ac vel obuoluta linteolo & aceto pręmacerata crebróque olfactu inspirata naribus auram pestilentem arcet. Gentianæ & Cruciatæ,quæ gentiana minor quibusdam dicitur, radices in antidotos omnes vtiliter asciscuntur,sed eas maximè quæ contra pestilentiam & venenatos ictus comparantur. Ad eadē Verbasci succus & ex radice conditū valere creduntur:quin & plātæ totius aqua stillatitia cor mirificè roborat: & ita roborat, vt etiam in animi deliquiis ac virium infirmitate fœlici successu propinetur. Vincetoxico nomen inditum ex eo est, quòd venenorū omnium vim malignitatémque vincere creditum sit. Huius radices tum ad pestis cōtagia tum ad cordis affectus quosvis ex vino alióve idoneo liquore vtiliter bibūtur. Sunt & qui Pulsatillæ radices magnoperè commendent non modò aduersus pestilentiam & hausta venena,sed & cōtra bestiarum virulentarum omnium morsus atque ictus: qua fit ratione vt etiam in antidotos addantur. Dracunculi seu herbæ colubrinæ nec non & ari radices ex vino tritæ ac potui datæ omne genus veneni obtundere, profligare,ac proinde pestilenti con-

stitutione

ſtitutione ſalutares eſſe creduntut. Behen Officinarum vtrunque tum albũ tum rubrum ad cordis affectus omnes plurimùm expetitur: illud quibuſdam polemonij radix eſſe creditur, hoc tripolium ſeu potiùs limonium exiſtit. Tuſsilaginem maiorem plerique multi Petaſitem nuncupant: quàm rectè ipſi viderint: conſtat autem multorum multis experimentis huius ipſius radicem præſtare contra peſtilentiã peſtilentéſq; febres. Sic vſus eſt, vt in puluerem cõtrita drac. ij. pondo ex vino propinetur ac mox ægroti ad ſudores ſeſe componant: ob haſce verò dotes Germanis radix peſtilentiæ vocitatur. Coronopus ſylueſtris qui ſerpentinæ nomine vulgò notior, holoſtium Dioſcoridis eſſe videtur: ex uino pota radix viperarum aliíſque venenatis morſibus potentiſsimè aduerſatur, atque ideò ab his qui communes antidotos in propriarum vicem vſurpant, etiam ad peſtilentiam valere creditur. E Cucumeris agreſtis radice & perpaucis quibuſdam aliis confectionem (opiatam vocant) deſcribit Hollerius in recentiorũ albo non poſtremus, quam quidem vel maiorum teſtimonio tantarum virium ait eſſe, vt ad molẽ nucis Ponticæ vel caſtaneæ ieiuno hauſta ex vino odoro peſtilentis aëris arceat contagium: nec id modò, ſed iam etiam peſtilẽ-

tia ipsa correptos planè liberet. Chelidonij maioris radices ex aceto rosaceo decoctæ pestilentium morborum virus sudore foras extrudere perhibentur. Raphani syluestris quem Itali *armoraciam* vocant vel tantillum, virium aduersus venena tantarum esse creditur, vt scorpio venenatum animalculum ad huius contactum illico dirumpatur. Allium rusticorum theriaca est, etiam ipsi Galeno: huius præmansum nucleum magnum cõtra pestem adiumentum afferre sentiunt tum Manardus tum etiam Brudus: & certè quidem venenis est remedio, dum innatum calorem excitat, reficit & instaurat adeò, vt ab externa quauis causa non nisi ægrè difficultérque vincatur: huc accedit quòd exiccat non mediocriter putredinísque maximè resistit. Sic Cæpã si ieiuni quotidie edant, firmitatem valetudinis custodiri author est Asclepiades, sicuti refert Plinius. Excauatnr etiãnum cæpe, in cauitatem theriaca citrei mali succo snbacta inditur, calentibus cineribus obuolutum coquitur, teritur deinde, atque ita bubonibus carbunculísve appositũ virus pestilens protinus educere creditur. Ex iisdem cæpis eodem prorsus modo coctis succus expressus, aut etiam ex aceto acidóve alio liquore simplex cæparum succus iis quos pestis malè habet potandus

32. Med. cap. 8.

Epist. 3. lib. 5
Lib. 6. cap. 20. de victus rat. febricit.

Lib. 5. c. 20.

potãdus exhibetur magno plerunq; succesu, sed tamen multò maiore, si illico pòst sudores vel natura cieantur vel arte promoueantur. Ex hoc antipharmacorum esse numero volunt plerique multi pastinacæ syluestris, apij hortensis, ligustici tum radices tum semina: radices verò solas hasce, symphyti Diosc. alterius quod maius vocant, Cælius Aurelianus argallicum nominat, asphodeli, polygonati, cyperi, acori, galangę, utriusque gei quę vulgò sunt caryophyllatæ: personatæ prætereà bardanę seu lappæ maioris nomine nulli non cognitæ, millefolij, rubię, saniculę fœminæ: sed de harum omnium efficacitate ac viribus licebit cuiuis periculo facto quippiam certi pronuntiare.

Tard. paß. lib. 5. cap. 2.

Medicorum primę notę vnus & alter Agaricum radicem esse crediderunt: verius fungus est truncis innascens arborũ non glandiferarum modò, sed & earum quas coniferas nouimus. Nã & laricibus agarici ceu infixi impactíve magnã vim sua manu decerptã in Valesiæ Alpinis Iacobus Bochinus æqualis meus ac condiscipulus suauisimus mihi non semel inter alia retulit. Recèns auulsus fungus potu non minùs ad pestilentiam quàm ad venena cętera efficax vsuperitorum testimonio censetur. Huic enim ipsi vis ea inest, qua corporis principes partes alias

Fungus. Diosc. & Gal.

maximéque omnium cor roboret & à veneni labe omni, si qua inest, protinus expurget.

De radicibus huc pertinentibus, déque agarico siue radix siue fūgus est, hęc hactenus. Proximum est de herbis plātarúmve foliis dicēdum esse videatur: in quibus vis atque autoritas maxima Rutę. Folia siquidē præsumta veneni vires obtundere atque adeò consopire, ampliùs etiam graui suo odore pestilenti auræ mirificè aduersari credūtur: qua de causa fit, vt tum folia ipsa tum & semina commodè antidotis inserantur. Sed admirandā eiusce vim vel illud indicat, quòd mustela basiliscum præsentissimi veneni serpentem rutæ demorsu præmunita cōficit. Rutæ quoque caprariæ, quæ & Galega est, contra pestilentiam vis non parua: vt cuius conuenienti vsu plurimi sibi præcauisse & ab sese pestem auertisse feruntur. Recentis herbę succus aut ipsa tota peste laborantibus pestilentíve febre quę cum macularum eruptione est ipso statim initio mali exhibita vim morbi superare sudore creditur. Eodē modo Agrimonia Græcorum eupatorium, Marrubium itē & Polium vtrunque venenis ipsíque adeò pestilentiæ penitus aduersari dicuntur. Ad eadem efficax Verbenaca vtraque recta pariter ac supina, seu probè māducata

Herba.

&

& deuorata, ſeu etiam ex vino pota. Anagallis tum quæ purpureo tum quæ cæruleo eſt flore ex vino bibita ſudore venenũ foras pellit. Veronicæ maris puluis tenuiſſimus drac.ij.pondo cum theriaces drac.j.ex vino meraco propinatus peſte affectis auxilio eſſe creditur: adiumentum certius multò, ſi ſudores illicò promoueantur. In Calaminthes generibus montana maximè ex vino præſumta venenis reſiſtit, prȩterquàm quòd communi facultate ſudores ciet, ac corporis vniuerſi cutis imprimis ſuperuacanea digerit ſimul & exiccat. Dictamno Cretico facultas haud abſimilis, cuius proinde folia eneruandæ contagioni conuenientiſsima vbiuis gentium ſempérque eſſe credita ſunt. Chamædrys, quæ Latinis eſt Triſſago, non minùs quàm Scordium ei cognata plãta, venena vehementer diſcutit: quapropter in acetariis ieiuno ſumta peſtilentiam arcet: in pollinem tenuiſsimum redacta & ex vino vetere pota ad eadem mirè efficax. Sic & Abrotonum ex vino potum exitialium alioqui venenorum antidotus eſſe fertur. Centaurij minoris tum ſuccum tum & aquã literis proditum eſt ſuapte natura venenis obſiſtere. Iiſdem obſtare Origanum teſtudines ipſa Natura docuit, quæ cum ſerpentibus dimicaturæ origano ſeſe muniunt. His ipſis viribus pollere Tragoriganum exiſtimatur. Arnogloſsi quoque, hoc eſt, plã-

taginis ac eius præſertim quam vulgò *Lanceolam* vocant quouis modo ſumtæ peſtilẽti cœlo & conſtitutione vim maximam expertos ſeſe plerique profitentur. Nec minùs Cotula fœtida vulgaris ad profligandã peſtilentiã à quibuſdã expetitur. E quernis foliis tenellis adhuc ipſóque ſtatim exortu decerptis aqua vaporario elicita vim non paruam habet aduerſus venena, atque eam ob cauſam propinatur peſtilenti febre laborantibus. Papaueris item rhœadis aqua à ruſticis magnoperè commendatur. His non minùs lentis paluſtris ſtillatitium liquorem non pauci plurimi faciunt. Geſtatam alij conyzam ſeu pulicariam contra peſtem valere prædicant. Iuniperi tum folia tum ſuccus in peſtilentia ſalubriter ex vino bibuntur: huius vt & roriſmarini crepmati nidor domum in peſtilẽtia tutam præſtat venenatam diluens aëris perniciem.
Ex Abſinthij generibus Pontico ſemper vſi ſunt maiores, in quo præter amarorem aſtrictionis plurimum ineſt: qua fit ratione vt cordi robur conferat ipſúmque muniat aduerſus venena peſtilentiúmque morborũ iniurias: idem præſtat vinum ex hoc ipſo factitium, Abſinthite nominãt. Eſt & Fumaria Græcis καπνὸς ad cordis cæterarúmque partium imbecillitatem non parum vtilis. Meliſſophyllo authoritas maior: odore nanque perquàm ſuaui, ſaporis auſteritate
cum

cum partium tenuitate coniuncta cor exhilarat, labascentes vitæ facultates instaurat, syncopen ex frigida causa, mœrorem tristitiámque discutit: quæ certè quidem omnia ipsius plantæ flores saccharo conditi validiùs multò fœliciúsque præstare perhibentur. Cor itidem respicit Pulegium, animóque defectos recreat ex aceto naribus obiectum. Cardiaca herba recentiorũ nulli non cognita vim habet ad cordis affectus eximiam, à qua nomen etiam viderur accepisse. Lysimachia altera eáque lutea, Ruellio teste, paulò supra bubonem alligata, forsitan qua multa pollet astringẽdi vi deorsum pestilens virus depellit & ad subditas partes exprimit, inibíque tandem collectum sursum regredi & partes principes repetere non patitur, vnde *pestifuga* vulgò appellata. Aster Atticus non tritus modò & impositus, sed & inguini ipsi adalligatus earum sedium inflammationibus nõ mediocri est auxilio: qua de causa *βουϐωνίου* nomen & obtinuit antè & nunc etiam hodiéque retinet.

Lib.3.c. 78.

Mali Medici singularis atque eximia laus: quo ex genere sunt Citria seu Citromala, Limonia item, Neratia seu Arantia quæ eadẽ aurea vel hesperica, denique & Adami poma vulgò dicta. Omnia & medicamentis exitialibus antipharmaca & venenorum generi omni, vel Athenæo teste, præsenti sunt

Fructus.

Lib.3. cap.5.

remedio. Hoc ipſum innuit Poëtarum principis elogium planè ſingulare:

2. Georg.

Media fert triſtes ſuccos tardúmque ſaporē
Fœlicis mali: quo non præſentius vllum
Pocula ſiquando ſæuæ infecere nouercæ
Miſcuerúntque herbas & nō innoxia verba
Auxiliū venit, ac mēbris agit atra venena.

Vide Theophraſt. lib. 4. περὶ φυτῶν ἱστορ. & *Oppium de ſyl-ueſt. arborib.*

Partibus certè quidem omnibus incredibilis ac penè diuina vis. Qui primus ſub aſpectum cadit ſuccoſus miréque odorus Medici cortex ſeu recèns in fruſta diſſectus ſeu etiam conditus, ſi modo dentibus atteratur, ambientis aëris contagia propellere atque diſcutere, cor aliáſque principes partes firmare, deniq; vitæ ipſos ſpiritus recreare creditur, vti & quod ex eo locorum vbique cōficitur ſerapium. Semini vis non minor: nam & oris halitum ſuauitate commendat & ad exigenda venena eſt efficaciſsimum: peculiariter verò ſcorpionum ictibus epotum aut etiam appoſitum aduerſari cenſetur. Pretioſum imprimis è ſeminibus expreſſum oleum, vt quod bibitum eadem illa efficaciùs multò præſtet: adde quòd lumbricis necandis excludendíſque non eſt invtile. Succus verò nominatim acidus, nihilo minùs q̃ Punicorum ad putredinem venenáque omnia, peſtilentes quoque febres, denique ad principum partium potiſsimúmque cordis imbecillitatem perquàm vtilis exiſtit. Eapropter è ſuccis hiſce ſyrupi parantur in Officinis

Auic. can. 2. cap. 120.

nis

nis, qui & flauam bilem egregiè reſtingunt & cordis ſpiritus feruidos potētiſsimè refrigerāt: quas ob cauſas à recentioribus Medicis ad peſtis arcenda contagia crebrò vſurpātur, ſucceſſu, arbitror, haud infœlici. Quin & aqua è limoniorum ſucco calentis aquæ balneo vitreis organis extracta ſerapiis ipſis admiſta, febribus acutis atque contagioſis mirè ac ſupra fidem omnem ſuccurrit. Cæterùm & ipſe (veluti ſummus Poëta ſuo carmine cecinit) mali Medici

Flos apprima tenax: animas & olētia Medi 2. Georg.
Ora fouēt illo, & ſenibus medicātur anhelis.

Ab eodem vaporario elicita aqua vt odoris ſuauitate cæteris antecellit omnibus, ſic & ad peſtilentes febres opem & auxilium affert haud mediocre: ſiquidem cor omnium maximè recreat ac ſudoribus à centro ad περιφέρειαν, è profundo inquàm ad cutim extimam, vitiatos humores euocat. Punicorum, àcidorum præſertim, acini contra ſcorpionum ictus ex vino bibuntur: eorundem ſuo è putamine recèns exemtorum, dein aceto pariter & roſacea lotorum vis fertur eſſe inſignis propulſando peſtis contagio. E malis nuſquam non naſcentibus Curtipendula vocata, Cydonia item atque Perſica aliáque id genus ſuaueolentia ſuis ſuccis cor & ſtomachum corroborant, venenatámque materiam tum conſopiunt tum arcent: quas ob cauſas ex iis ſyrupi guſtu ſuaues atq; iu-

cundiſsimi, ex ipſorum verò fructuum carne condita tum liquida tum & arida ſiquid aliud palato gratiſsima comparantur.
Nucem Metellam Arabum ex ouo contritam nonnulli fœliciter ab ſe propinatam peſte laborantibus aſſerunt. Sunt & qui aquam è iuglandibus immaturis adhuc, aut earum putaminibus ad peſtem valere certis experimentis deprehenderint. Nucem verò ipſam alij toſtam & aceto aliquandiu maceratam habent pro comperto conferre plurimùm. Iuniperi Myrti & Lauri baccæ, itémque Smilacis aſperæ acini potu vt venenatis ictibus,ita & in peſtilentia non paruo ſunt adiumento : quapropter alexipharmacis induntur ſæpiſsimè. Vulgaris Officinarum *Ribes* vuarum feraciſsima,quibus vim tradunt ineſſe cardiacam viſcus ipſum muniendo arcendóque putredinem. Tum earum ipſarum conditum tum & ſyrupus è ſucco corporis æſtum vehementiorem reſtingunt,peſtilẽtium febrium malignitatem feritatémque cohibent aut certè mitigant:oris ventriculi, cordis aliarúmque principum partium robur tuentur : animi defectionem & ſyncopas arcent. Vis propemodùm eadem aculeato frutici quem Creſpinum nonnulli, alij falſò *berberim* nuncupant : nã & è fructu ſuccus bilioſas peſtilentéſque exhalationes ſupprimit. Κόκκος βαφικὴ vitæ ſpiritus viréſque exolutas reſarcit propemodùm,

modùm, dum & qualitate manifesta & familiaritate totius substantiæ quam habet cũ corde præcipuam, partes principes alias, nedum cor ipsum roborat. Caryophyllos in aromatum genere odoratu perquàm suaues arboris cuiusdam Indicæ flores esse Paulus videtur existimasse: sed vero propius arbitror, arboris eiusce fructuum esse rudimenta. Ii vt suffiti ita & mansitati valent non parum aduersus pestilentem contagionem, cordíque roborando plurimùm auxiliantur. Vis & facultas propemodùm eadem est nuci Myristicæ: sed conditæ maior authoritas. Myrobalani quoque, maximéque citrinæ, conditæ sua leui astrictione cordis vniuersíque corporis robur augẽt, ac mœrore omni discusso hilaritatem afferunt. Neque verò Cerasia quæ rubicunda subacidáque sunt, tanquam astringendi vi myrobalanis affinia, laude sua destituuntur. Febrium enim pestilentium demulcent ardores, pestilenti in febre deiectam appetentiam excitant: præcipuè verò succus cùm vini modo expressus deferbuerit fæcemque deposuerit, serpentem putredinem cohibet & odoris suauitate cor exhilarat. Condita eadem si modò lotura frequentiore dulcedinem deposuerint, præterquàm quòd refrigerant, sitim leniunt, & eadem qua succus facultate pollent, sed imbecilliore.

Lib. 7.

Coriandri semen diuturna in aceto mace-

Semina.

ratione præparatum ac ſeu ieiuno ſeu etiam à cibo ſumtum concepta aëris vitia emendare creditur. Aniſum peſtilentiæ non minùs quàm virulentarum beſtiarum venenis aduerſatur, & oris anhelitum odore ſuo commendat. Ocymi caryophyllati ſemen cor exhilarat ac ei ipſi roborando firmandóque vtiliſsimum cenſetur. Eſt & vſu compertum deficientibus ex aceto ſalutare eſſe. Thlaſpi aduerſus peſtilentiam à Manardo maximè commendatur. Cardamomum aromaticum ex vino potum & venenatorum ictibus omnibus auxilio eſt, & odoris iucunditate cor recreat, ob ídque antidotis immiſcetur.

Epiſt. 3. lib. 5.

Calendulam Plinij atque Virgilij caltham eandem exiſtimant: flos cor roborare & venenis reſiſtere creditur: & haſce ob dotes aduerſus peſtilentes febres quocunque modo ſumatur mirè efficax. Crocus ſi extra modum ſumatur, vim lethalem inferre aſſolet: at modicè ſumtus mediocriter aſtringit, cordis imprimis, dein cæterarũ partium facultates ſtrenuè iuuat emendátque earundem putredines. Roriſmarini coronarij flores tum integri tum contriti & ſaccharo aſſeruati valent non parum & ad frigidos cordis affectus & ad arcenda peſtilentiæ contagia: denique præter cerebrum ac neruos cor etiam firmant. Viola purpurea quæ & Martia, Roſa præſertim rubra

Flores.

&

& Nymphæa in medicamẽtis cardiacis non postremum locum obtinẽt. Nanque cordis tædia discutiunt, spiritus excitant ac tetros arcent vapores. Ad hosce vsus singularis præstantiæ syrupi in pharmacopoliis nusquam non parantur, alij ex florum succis, alij ex eorundem infusis: quinetiam flores ipsos saccharo condiri atque conseruari infrequens non est. Stœchas itidem cor cæteráque viscera confirmat & roborat.

Aceto & omphacio, qui succus est ὀμφάκος, id est, vuæ acerbę necdũ maturæ, vtiliter cibi condiuntur, colluuntur os atque fauces iísque dilutis manus asperguntur. Ex iisdẽ illis conficiuntur syrupi, quorum vis atque facultas bilis ardorem leniendi, coercendæ putredinis sedandarúmque animi defectionum. In summa febrium malignitatem restingunt atque penitus totámque depellunt. Cæterùm vuæ acerbæ melligo vim efficacitatémque maiorem habere fertur sorbitionis vsu, cùm pestifera lues populatim grassatur: siquidem & corpora siccat & perniciem occultam manifestis etiam qualitatibus obtundit, eiúsq; totius furorẽ vim & acrimoniam hebetat atque consopit. Aloë putredini obsistit, & ita obsistit vt æquè ac myrrha cadauera multos in annos integra à putredine vindicet atque conseruet. Eadẽ potissimúmq; lota cor & stomachũ confirmat, tãtum abest vt inficiat vlla vi contraria.

Succi.

Ruell. lib. 2. cap. 142.

Mes. lib. 2. simpl. purg. cap. 1.

Laser Indicum seu liquorem Cyrenaïcum, quæ Arabũ Interpretibus *Asa* dicitur, Græci omnes aduersus venena alia & pestis contagia commendant. Asam dulcem à fœtida distinguit Auicennas, vultque inter has hoc interesse, quòd prout sincera magis minúsve existit, suauiorem grauiorémve odorem spirare consueuerit. Vtriusque vicem Belzuinum nostrum supplere potest: hoc vero est arboris cuiusdam gummi, tantũ abest vt sit Laser ipsũ, quod pleriq; falsò arbitrãtur.

Lachryma. Quæ verè Caphura est nec factitia, Indicæ arboris est lachryma. Hæc vaporum exhalationúmve præcipuè calidiorum malignitatem emendat & extinguit, ortámque inde sensuum exolutionem resarcit. At vulgaris nostra supposititia factitiáque videtur, & ex bituminis Indici tenuissima parte cõflata, ac proinde meritò calida quàm frigida potiùs esse censetur. Est & argumento gusto ipse mordacitatis & acrimoniæ particeps. Caphuræ affinis Myrrha arboris est Arabicæ lachryma eximia vi prædita, qua etiam viuentiũ corpora à putredine vindicat sicq; tuetur vt ea pura conseruet. Eadem exiccat simul & obstructiones expedit: ac dum spiritus & recreat & reficit, ipsum spirituum fontem cor mirificè roborat: quibus de causis hanc eandem ipsa caphura non minùs antidotis ammisceri non est insolens, iis nquàm antidotis quæ ad venena venenatorúmque

rúmque animalium ictus & aduersus pestilentiam comparantur. Ἤλεκτρον Latinis succinum, Arabibus *Karabe*, siue sit, vt quibusdam placet, lachryma arboris pinei generis è Septentrionalibus insulis, siue, quod vero propius existimo, bituminis quoddam genus: quia & cor & stomachum firmat, cardiacis & palpitationi cordis remedium est iure accommodatum: fertur ex eodem oleum si narium pinnis illinatur, prodesse plurimùm.

Fraxini cortex medianus ac interior & ex eo liquor stillatitius contra pestem vtiliter admodùm bibuntur: vis enim fraxino aduersus venena inesse summa creditur. *Cortices.* Græcorum veterum κασία est hodie tabernarum Cinnamonum, seu *canella* vulgaris. Nec deest tamẽ qui cõstanter asserat cassiã & cinnamomũ vnius atq; eiusdẽ rei nomina esse diuersa, quibus significetur interior cortex arboris cognominis. *Garcias de arom. India.* Est verò Cinnamomum ad deleteria & venena vtile, cardiacos affectus & syncopas tollit ac, saniem putridam exorbens viscera corroborat cordísque spiritus resarcit.

Agallochum seu xylaloë iure medicamẽtis cardiacis accensetur: nam ad syncopen etiam, nedum ad cæteros cordis affectus, vtilitate magna non modò exhibetur, verùm etiam incenditur. *Ligna.* In Santalorum genere quod est pallidum seu citrinum aliis lon-

gè antecellit: ſed genera omnia, authore Auicenna, non modò cordi lætitiam efficaciſſimè afferunt, ſed & robur addunt haud mediocre. Corallium ſiue Corallum Theophraſtus κυράλλιον, Metrodorus, teſte Solino, γοργίαν, alij λιθόδενδρον, alij δενδρῖτες appellant. Id ego inter ligna recenſeo, quia vti cecinit Ouidius:

Lib. de cord. viribus.

In Polyhiſt.

-quo primùm contigit auras
Tẽpore durescit, mollis fuit herba ſub vndis.

15. Metam. fab. 41.

Fruticem quoque nominauit Solinus, déque eo ipſo dixit itidem, quantiſper fuerit in aquarum profundis fluxum eſſe & tactu propè carnulento, deinde vbi in ſupera tollitur, natalibus derogatis lapidem fieri. Porrò Corallium ramis quamplurimis brachiatum vtrunque, ſed maximè rubrum aſtringendi vi vt ſtomachum roborat, ita & cordi ſuum robur tuetur atque conſeruat, dum ſpirituum exolutionem prohibet & viſcus ipſum nobiliſsimum munit aduerſus peſtilentiũ morborum iniurias: imò & ipſi Dioſcoridi φυλακτήριον ἐστὶ καὶ παντὸς κακοῦ ἀποτροπαῖον. Hæc ſat fuerit ex immenſa ſimplicium ſylua contagioni propulſandæ curandæque aptiſsima collegiſſe.

Cap. de corallo.

Vtendi modus.

Proximum eſt ac conſequens de vtendi modo diſſerendum eſſe videatur. Igitur ex alexipharmacorum ſimplicium genere tum hucuſque memoratorum, tum ſi qua prætereà vel à Dioſc. lib. quinti calce conſcripta

ſunt

ſunt, vel rerum parens Natura adhuc incognita procrearit, aſſumenda alia, alia verò admouenda ſunt. Ac eorum quidem quæ in corpus ingeri debent omnium hoc eſt commune, vt ieiuno potiſsimùm aut alioqui vacuo ventriculo ea decerni oporteat. Sin aliter, in metu eſſe debemus ne obuio cuique humori immerſa ac veluti ſepulta iaceant, nec vnquam ad cor partem venenata qualitate vt cùm maximè laceſsitam peruenire poſsint. Hæc ipſa porrò aſſumi neceſſe eſt aliàs ſimplicia ſinceráque, aliàs ex quopiam liquore: qui quidē aliàs aliꝰ atq; alius eſſe debet. Nam hyeme aut cœlo alioqui frigidiore ex vino odorato aut meliſſophylli, ſcordij, calthæ aut betonicæ ſimiliſve medicamenti decocto aquáve ſtillatitia: æſtate verò aut calidiore alioqui cœlo ex roſarum, intubi, ſcabioſæ, oxalidis, bugloſsi aut alio ſimili decocto, ſucco liquoréve ſtillatitio cōmodè potantur. Vinum hîc plerique, fateor, ieiunis decernendum negant Galeni, arbitror, & Plinij authoritate ducti: quorū hic vinum diſertè ait ieiunis bibere nouitio inuento inutiliſsimum eſſe, ille verò etiam ſummoperè noxium. Verùm cum nec ſincerum id nec vt alimentum, ſed & permiſtū & antidoti vice tùm exhibeatur, quid eſt quòd ipſius vſum tantoperè refugias? Quòd ſi minus illud placebit, at certè cū decocto ex antè memoratis quopiā accommodato a-

Plin. lib. 23. cap. 1.
Gal. in aph. 21. lib. 2.

quáve stillatitia conuenienti assumēda propinare poteris. Quo verò pondere quáve mensura recensitorum anteà simplicium vnumquodque sit decernendum præscribere constitueréve alienum à me miniméque necessarium duxi, satius esse ratus id negotij præsentis Medici iudicio permittere. Qui & ipse præsente vsus Catone è tam fœcunda medicamentorum materia ex tempore, sed cum delectu tum externa tū assumenda alia atque alia parabit atque conficiet: prout alios aliæ formæ iuuabunt aut etiam delectabunt: suffitus inquàm, nodulos, globulos odoratos naribus admouendos, & inducenda cordi linimenta, cerata, epithemata & sacculos quibus tanquam clypeis ipsum muniatur: orbiculos insuper aut ore continendos aut suffitu excipiendos: potiones etiam, opiatas, iulepos, apozemata, syrupos, tum liquida tum solida alia atque inter hæc media eclegmata: pastas regias, formæ duplicis condita, bolos, catapotia, pulueres: denique vi ignis coctionísque longioris è simplicibus expressa, quibus nouitio inuento medicamenti totam facultatem inhærescere aiunt modo quàm consuetorum multò minore. Huc pertinent qui tum è simplicibus tum è compositis ipsis eliciuntur liquores stillatitij: qua in re mirari satis non possum Philosophorum ingeniosam solertiam, nō quidem veterum illorum, sed eorum qui

Alexiteriorum formæ variæ.

nostra

noſtra hac ætate quaſi officinas ſtruxiſſe videntur diſtillationum atque eliciendæ ex medicamentis, vt volunt, animæ. Siquidem hac arte quam χυμικὴν vocant iis cumulatè ſatisfieri videmus, qui contenti eſſe non poſſunt iis quæ in manibus & habuimus olim, & habemus etiamnunc. Ac vt verè dicam, quæ alioqui ſpurca ſordibúſque & craſsioribus velut inquinamentis cōtaminata propinabantur, eadem hac arte puriora & à fæcibus ac immunditie ſoluta magis & libera videntur exhiberi. Ex quo & illud conſequitur, vt medicamenta huiuſmodi modo quantumuis paruulo ſumta ſint efficaciſſima. Hæc dum à me dicuntur, nolim in ſuſpicionem venire, quaſi is ego ſim qui diſputando non meum ſequar iudicium, ſed impudentiæ faueam Paracelſiſtarum, quos hodie paſsim eò inſolentiæ furoríſque proceſſiſſe conſtat, vt ignium chymicorum vi ad morborum omne genus olea è ſimplicibus elicere ſe, pulueres ſaléſque conficere impudenti ſuo ore iactitare non vereantur. Sed omiſſa fracta iam atque conuicta Secta ad rem redeamus. Dum iudicio arbitratúque ſuo varias in id genus formas commemorata ſimplicia coaptat transfértque Medicus, Hipp. conſilium ſecutus diligenter exploret & expendat velim corporum naturam, temperamentum, vires, ætatem, ſexum, anni tēpus, regionem, vitæ modum atque conſue-

Laus chymicorum medicamētorum.

tudinem & si qua sunt eiusmodi, vt pro eorũ omniũ ratione in re præsẽti modò calidiora modò frigidiora, copiosiora aliàs àliàs parciora decernat. Leuiora verò & familiaria magis quæq; nõ adeò immutẽt medicamẽta deligat suadeo, quoties non præsentem morbum curare conabitur, sed imminenti malo duntaxat obsistere, corporis vires firmare stabiliréve, ídque ipsum præmunire ac velut obdurare quominùs contagium vllum vel admittat vel concipiat. De simplicibus medicamentis hæc hactenus. Supereſt vt ad composita omnis nostra iam pergat oratio.

Compositionum tradendarum necessitas.

Extemporalia medicamenta varia ex memoratorum hactenus simplicium permistione vix ex arte concinnabit quis, nisi qui & multa priùs perceperit & vsu longo ita exercitatus fuerit vt componendorum rationem planè sit assecutus. Ac sanè præstat ipso statim initio réque nondum bene cognita, perspecta diligentiúsve explorata ad veterum simul ac recentiorum (de probatissimis quibúsque sermo nobis est) authoritatem nosmetipsos conferamus ac præuisæ rei & experientiæ innitamur rectéque positis vestigiis firmiter insistamus, quàm vt temerè leuitérque quidpiam ad arbitrium tentare audeamus. Itaque ex priscorum compositionibus celeberrimas & commendatissimas quasque loco priore, eas dico quæ variis in locis ad pestilentiam destinatæ in officinis asser-

asseruantur prostántque recensebimus: dein recentiorum quoque magis artificiosas pluribúsque experimentis comprobatas confectiones, vti par est, subnectemus. Nam & in his ipsis sunt non paucę, quarum vsu longo hac tempestate plurimi magnum adiumentum & vtilitatem insignem suis coætaneis attulisse se ad rem quæ in manu nobis est non obscurè profitentur. Est hoc loco quiddam quod ad tyrunculos Medicinæ cādidatos pertineat, vt quorum hoc sit officium, ad earum confectionum imitationem operam omnem, laborem atque industriam vti conferant, studeántque tum priscorum tum etiam recētiorum fidem, industriam ac diligentiam si non superare, attamen assequi vel certè quidem æmulari: quod si non dabitur, infrà subsistant.

Priscorum alexeteria composita.

Hoc loco nihil opus est litibus. Ex compositionibus iis quibus Medicinæ proceres in arcenda pellendáque peste fœliciter vsos multis retrò seculis est obseruatum, primas ea tenere ac omnium instar esse creditur quę primùm ab authore Andromacho seniore γαλήνη seu ἱλαρὴ καὶ εὔδιος, hoc est, serena iucūda & trāquilla dicta fuit, ꝙ ceu ex sæua quadam affectuum tempestate perturbatrice serenitatē atque adeò corporū inualetudine in sanitatē commutata ægris trāquillam hilarémque vitam præstaret. Crito deinde quique eum secuti sunt omnes ceu iurati di-

ſcipuli eam θηριακὴν nuncuparunt, inditò ex feris nomine, viperis ſcilicet, quòd harum ſelectas & præparatas carnes reciperet. Porrò hæc ipſa confectio ſuis abſoluta numeris ſeu hauſta vel ore duntaxat retenta, ſeu ventriculi atque cordis regioni aut (mirandum magis) carpis ipſis & cuiuis alteri parti illita aut admota fertur extinctum penè aut etiam intermortuum natiuum calorem inſtaurare principéſque partes omnes mirè corroborare, & trahendi euocandíque ſimul & excludendi depellendíque veneni vim habere, quod plerique multi ipſo vſu compertum eſſe voluerunt. Eapropter non modò venenatorum ictibus exitialibúſque venenis aliis aduerſari, ſed & corpus à peſtilenti contagione vindicare omninóque tueri credita eſt. Parũ eſt quod dico: mai⁹ illud quod cõceptis verbis Galenus aſſerit, peſtifero cœli ſtatu præſumtam eam ceu ignem quendam καθάρσιον intactum adhuc hominem à lue peſtilenti vindicare ſecurúmve eſſe iubere: iis verò qui peſte iam illigati ſunt hanc eandem remedio eſſe, dum aëris inſpirati circunfuſique vitium alterat & immutat, internámque corruptionem omnem prohibet. Idem author loco alio conſtanter affirmat, graui quadam in peſtilentia, cæteris omnibus præſidiis inefficacibus, nonnullos ex inquinatis ac ipſa lue iam occupatis hoc hauſto remedio euaſiſſe, nonnullos occidiſſe: verùm

Gal. in lib. de ther. ad Pis.

Ibid. tex. 28.

De ther. ad Pamphil. cap. 3.

verùm quotquot anteaquàm peste correpti forent hac ipsa antidoto sunt vsi, morbi grauem incursionem auertisse omninóque à periculo tutos euasisse. Nos hodie, fateor, Theriacæ vires haud experimur tãtas, quantas hisce præclaris encomiis celebrauit Galenus: sed Authorem veritatis amãtissimum non modò ab omni vanitate sed & vanitatis suspicione vindicant partim adulteria fraudes & imposturæ eorum qui non vtilitate publica, sed suis commodis omniá metiuntur aromatariorum: (bonos semper excipio) partim errores qui in Theriaca componenda committuntur detestandi nimiùm. Errata verò leuiora facere vidẽtur hęc: quòd eorum quæ recipit nonnulla sint nobis ignota penitus aut manca, vel quòd haudquaquam ad nos importentur. Vtut sit, plerunque vbi Theriaca prostat, ibi Theriaca nulla est. Nam, Galeno ipso teste, vel vnius medicamenti aut suppositítij aut adulterati mistura potest dubioprocul Theriacę compositionem vniuersam non modò labefactare, verumetiam corrumpere ac penitus totámque disperdere. Est & errati causa alia ex eorum siue negligentia siue ignoratione pendens, qui in simplicium delectu habendo nec diligentes nec accurato satis studio fuerunt. Ex quo fieri arbitror, vt eorum quæ in Theriaces compositionem veniunt facultates & vires æquam inter se pro-

Lib. de ther. ad Pis. cap. 17.

portionem minimè seruent, sed cōtrà pharmacis compluribus imbecillibus vnum aliquod in suo genere validissimum (quod nec insolens nec rarum est) admisceatur, cuius deinde præcellentem vim compositum totum præ cæteris referat. Tum ex his, tū quia bonæ ac legitimæ Theriaces confectionis probationes eæ non adsunt quas tamen Galenus adesse voluit, intelligi datur inutiles, malas & exleges esse quæ ferè vbique locorum parcissimo sumtu & studio propemodùm nullo componuntur. Nam (quæ bonæ Theriaces sunt notæ certissimæ) nec assumtum venenum protinus eneruare posse deprehenduntur, nec medicamenti purgantis inchoatum opus illico sistere. Vbi autem & apud quos ex Andromachi præscripto præstantissimáque inueniatur, controuersa res est ac plena dissensionis. Venetam quidem & Genuensem Theriacam sunt qui gentiū aliarum aliis præferendam hodie putent. Hunc honorem iis ægrè dabunt Monspelienses. At nos haud quidem auriti sed oculati testes aliis quamlibet celebribus postponendas minimè censuerimus, quæ tum Geneuæ hîc tum Lugduni à Valerando Donrez, Veronæ à Franc. Calceolario, Aquis Sextiis à Iosepho Torello summa doctissimorū ac celeberrimorum Medicorum consensione, applausu etiam, haud ita pridem præparatæ fuêre: id quod ex iis ante oculos est, tum

Gal. 1. de antid. cap. 3.

Gal. de ther. ad Pis. ca. 2.

quòd

quòd ab iis rara & exquiſita nihil minùs quàm apud Venetos, fortaſſe etiam præſtantiora ſimplicia ſpectanda proponerētur, tū quòd τῶν ἀντιβαλλομένων numerus vix quaternarium aut quinarium excederet. Atque vt concluſa nobis iam ſit de theriaca omnis oratio, quibus eam ſolam & ſinceram decerni exhiberíve non oporteat, indicant Medicorum vetita hæc: ne infantibus aut pueris, néve prægnantibus, infirma valetudine hominibus, delicatis, inſuetis, acutè febrientibus atque bilioſis vnquam propinare audeamus: rariſsimè verò quibuſcunque naturis ac firma etiam valetudine quibuſuis, tū per anni æſtum tum regione calida & æſtuoſa. Quibus autem eandem exhiberi, quo cæli ſtatu annívе tempore conueniat, ex cōtrariorum natura intelligi par eſt: ac ea de re propterea verbum nullum. Cuius porrò ætatis theriace, qua diei hora quóque modo exhibenda ſit, vſu peritorum indicant iuſſa hæc: vt multò ante cibos, æſtate quidem triennem aut etiam recentiorem, intubi aut roſarum ſtillatitiis aquis cæteríſve frigidioribus temperatam: hyeme verò aut rigidiore alioqui cœli ſtatu quæ ſit ętatis mediæ, túmque ex aqua meliſſophylli aut vino potandam, vel etiam ſaccharo obuolutam boli inſtar deuorandam deglutiendámve exhibeamus. Vetuſtior quæ duodecimum annum exceſſerit, vix niſi longioribus atque frigidæ

Gal. ibid. cap. 30.

ex cauſa natis morbis expetitur. Theriacæ vires proximè æmulatur, ſed vſu tamen facilior & caloris acrimonia minore celeberrima illa antidotus quæ à Mithridate Ponti & Bithyniæ Rege famam noménque inuenit. Ferunt enim huius antidoti vſu quotidiano corpus à venenis tutum præſtitiſſe adeò, vt deſperatis rebus deliberata quæſitáque tandem per atrociſsima venena morte voluntaria parum nihílq; profecerit, nec niſi gladio perfoſſus (hoc genus enim cruentæ mortis poſtremò delegit) interire potuerit. Huius tãti alexeterij variæ à variis deſcriptiones:eæq́ue omnes aduerſus venena efficaciſsimæ & (dictu mirum) ad nonnulla theriaca etiam ipſa valentiores,ſed tamen aduerſus viperarum ictus non tam præſenti remedio. Ex eo numero vt maximè ſinceræ vetuſtiſsimæq́ue omnium, ita & optimæ cenſentur quæ à Galeno ipſo tum Andromacho tum item Damocrati aſcribuntur: atque iccirco hodierna die iure optimo in vſum medicum à pleriſque & iis quidem viris eruditis reuocantur. Eſt & altera εὐπόριστος longéque ſimplicior eiuſdem nominis antidotus, quam ſiquis ieiunus ſumat, nullum ei venenum íllo die nociturum aſſerunt. *Eiuſce*, inquit Plinius, *in ſanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem.* Hanc eandem

Gal. 2. de antid.

Aet. tetrab. 4. ſerm. 1. cap. 96.

Lib. 2. de antid.

Lib. 23. cap. 8.

eandem Apollonio Muri Galenus acceptã refert, Aëtius ipſiſsimam ex Stratone deſcribit: Nicol. Myrepſus additis origano & gummi Democrati tribuit. Ea verè paratu facilis conſtare fertur ex nucibus iuglandibus duabus, ſiccis quidem non tamen rancidis, caricis totidem & rutæ foliis xx. ſimul tritis, addito ſalis grumo: quemadmodum præclarè verſibus his expreſsit Q. Serenus Sammonicus:

Lib. 2. de antid.

In præcept. de Med.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Cõſociata modis: ſed Magnus ſcrinia Regis
Cùm raperet victor, vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit:
*Bis *denas rutæ frõdes, ſalis & breue granũ,*
*Iuglandeſq; duas, *totidẽ cũ corpore ficus:*
Hæc oriente die parco conſperſa Lyæo
Sumebat, metuẽs dederat quæ pocula matri.

**al. denum rutæ folium.*
**al. terno.*

Ruffi propotiſmatis ex aloë lota, myrrha & ammoniaco contritis & vino odorato ſolutis ad arcenda depellendáque peſtilentis cõtagij ſeminaria vim tantam, quantam vix cuiuis alteri medicamento publicè omnes ferè priuatímque tribuũt. Inter Græcos doctrinæ iudiciíque excellentis Paulus AEgineta ex ipſa quoque Ruffi ſententia poſteritatis memoriæ prodidit, quotquot ex medicamento adeò ſingulari quanta eſt fabæ moles ex vino quotidie præſumſiſſent, à peſtilenti contagione prorſus immunes ac illæſa omnino, integra conſtantíque valetu-

Lib. 2. cap. 36.

dine incolumes euasisse. Arabes nescio qua ducti ratione pro ammoniaco crocum substitui voluerunt: quàm rectè id ipsi viderint. Mihi quidē in rem præsentem ammoniacū croco minimè cedere videtur. Prætereà quòd vel hominum gustui palatísve gratificari vel vtilius aliud consultum illi vellent, immutata medicamenti totius forma catapotia concinnarunt. Rati sunt, arbitror, cùm in ventriculo globuli quàm potiones diutius hæreant, ea longiore mora vim medicamenti salutarem ad cor vsque commodiùs posse transfundi: qua quidem recreatum id atque confirmatum à corrupti vitiatíq; aëris iniuria sese defenderet animosiùs. Nam quod aiunt nonnulli veritos Arabas, ne Ruffi puluisculi liquore dissoluti cibos si qui in ventriculo superessent ex facili corrumperent: temerè id quidem, iudicio meo, cùm ei medicamento non modò corrumpendi vis nulla insit, sed contrà à corruptione omníque putredine vindicandi innata ascititiáque facultate polleat, nec aliter nisi solis ieiunis aut alioqui inanibus propinari moris sit. Quòd verò in metu fuisse dicunt, ne amarore insigni, ingrato tetro ac etiamnum abominādo sapore in biduum plurésve dies palatum exurdarent, non minùs vanum id est, (quod ipsorū bona venia dixerim) cùm hieræ (cui ab amarore insigni πικρᾶς nomen est inditum) modus etiam de-
cuplo

euplo maior vacuata primæ regionis impuritate proſtratam etiam appetentiam moleſtia nulla reſtituat, tantum abeſt vt vel deiiciat vel proſternat. Vt ut ſit, quę Ruffus potionis in modum propinare ſolitus erat, Arabes eadem interpolanda & in pilullarum formam coaptanda cenſuerunt: vt iam non Ruffi προποτισμάτων, ſed potiùs Rhazis alteriúſve catapotiorum cognomen mereantur. Hæc verò eadem quòd populatim graſſante peſte frequentiùs in vſum veniunt, cōmunia ſeu peſtilentialia Pharmacopœorum vulgo ſunt appellata. Quanquam plus apud nos quàm illa vulgi opinio valere debet vera, vt arbitror, eorum ratio qui Meſuæi pilullas alephanginas hiſce præferendas exiſtimant: & quia cardiacæ magis illis eſſe videantur, & quòd maſtichen recipiant, quæ venarum apertionem ab aloë quantumuis lota pertimeſcendam negotio nullo prohibeat. Sed in hoc delectu iudicio quíſque arbitrióque ſuo vtatur per me licet. Theriacam διατεσσάρων à Meſuæo deſcriptā aduerſus hauſta venena, beſtiarum virulentarum ictus & peſtilentem conſtitutionem apprimè vtilem iudicant. Par maiórve facultas Damocratis medicamento διαιμάτων, vti & antidoto Centenæ quam in Antonini Cæſaris gratiam Galenus ipſe concinnauit. *Lib. de antid. 2.* Antidotum cui Eſdræ nomen deſcribit Aëtius, quæ vt modò memoratæ aliæ tum ad

generis omnis lethalia venena, tum ad perniciei peſtilentis iniuriam multorum literis monimentíſque celebrantur. Ad eadem efficaces quotquot extant antidoti cordi imprimis, dein etiam conſecutione quadã partibus principibus aliis firmandis roborandíſque deſtinatæ. Dum enim hæ ſpiritus omnes vi ſua cohibent obſtántque quominùs diſsipentur aut euaneſcant, fit vt exolutos fortè eoſdem reſarciant, diſtractos cogant, feruidos refrigerent, roborent imbecillos, denique innatum calorem variè ſuſcitẽt & exaugeãt: viſcus verò princeps cor ipſum eò etiam fœliciùs hauddubiè firmioréque præſidio muniunt ſimul & à peſtilenti contagione vindicant. Ad hoc genus pertinent haud parum multa, atque horum alia aliis facultate viribúſque maiora minoráve: Exhilarans confectio Rhazis Galeno antehac falſò attributa, Electarium è gemmis, Antidotus è cocco baphico ſeu grano tinctili, Aromaticum roſatum maius, caryophyllatum, moſchatum, Electarium diambræ, De moſcho duûm generum dulce & amarum, Electariũ diarrhodon Abbatis, Electariũ regiũ, De citrio, Diamargaritωn vtrũque, διανθῶν, διατριῶν σαντάλων, Roſata nouella, tũ ſi quæ ſunt aliæ cardiacæ cõpoſitiones: quo ex genere ſunt etiam trochiſci multitudine innumerabiles, qui quidem tum aſſumti tum ſuffitu excepti cor reliquáque viſcera & re-

ficiunt

ficiunt & mirè corroborant, os item corpúſque totum odoris ſuauitate perfundunt. Hoc è numero ſunt præter cæteros Galliæ moſchatæ troſchiſci, Aliptæ moſchatæ, διαξυλαλόης, E caphura, Diarrhodon, Cyphi Damocratis, &c.

Recentioru͂ Medicorum alexeteria compoſita.

De priſcorum antidotis ad inſtitutu͂ pertinentibus, hæc ſatis. Eſt & recentiori quoque Medicinæ ſua laus atque authoritas, cui plurimæ eæque non incelebres acceptæ feruntur antidoti contra peſtem efficaces: quo ex genere frequentiore ſunt in vſu hæ ferè, vt quæ artificio induſtriáque præ cæteris maiore concinnatæ videantur: Electarium de bolo ídque magis minúſve compoſitum, Elect. de ouo, De nucibus, Mithridatiu͂ expertum Io. Manardi, Antidotus Matthiolo deſcripta ſua in Dioſc. lib. ſextum præfatione, Guidonis Cauliacenſis Antidotus, Confectio liberantis, Confectio de hyacintho, Diacorallium è Medico magiſterio, Diaſcordion Hier. Fracaſtorij, Manuſchriſti, vti loquuntur, perlata & ſantalata, denique Cardiacorum puluerum omne genus: hos vulgò *Bezoardicos* vocant. Singularis autem præſtantiæ Syrupus meliſſophylli à Fernellio deſcribitur: cuius vnius vis atque efficacitas ea, vt venenatorum peſtilentiúmque morborum malignitatem perniciémq; omnem non modò obtundere, ſed & penitus totámque extinguere credatur. In ope-

ribus humanis operosa nimiùm Auri potulenti cōfectio, sed & ad tuendam valetudinē & ad arcendam pestilentiam tanti est, vt laborem superet, nedum penset, vtilitas. Eiusce præparandi rationes tres memoriæ ac literis prodidit inter cæteros Io. Pistorius, & idipsum ad pestem miris celebrat encomiis. Vires huic pares esse ferunt olei è chalcantho. Huius apud varios pro eorum ipsorum cuiúsque iudicio arbitrióque aliæ atque aliæ descriptiones inueniuntur. Id porrò vi cum aquis puluerib ú sve aduersus pestem idoneis efficacissima cēsetur scrup. j. pondere potū. Olea è scorpionibus omnia (præ cæteris verò maximè id compositum quod tum à Ma thiolo tū à Faloppio doctissimis viris scitè describitur) seu epota, seu arteriis atque cordis extimæ regioni dorsóve in singulos dies subindeque illita cùm venenis aliis tum vel maximè pestilentibus remedio esse creduntur, atque ea de causa inter pestilentiæ præsentissima remedia censentur. Quod verò ex humano stercore comparatur oleum, vt memoratu fœdum, odore teterrimum, gu stu abominandum: ita Xenocrati atque illius æmulis intus forísque pro suo arbitrio vtendum relinquimus. Suum etiam Cardanus tanquam huc spectans oleum commendat, ex misy, auripigmento, lasere, gentiana, venenatorum serpentum pinguitudine & aconito cōflatum: ídq; ipsum ait si illinatur, vomitio-

Lib. de peste.

In præfat. li. 6. Diosc.

Lib. de bub. pest. cap. 14.

Lib. 2. de subtil.

vomitione aliàs, aliàs aluo ſubducta ſudoréve aut vrina venenatam materiam qualitatemq́; omnem illico propellere atque adeò corpore ipſo excludere. Ac, mea quidē ſententia, id genus illituum ex tenuiore materia & abſque negotio integris fermè facultatibus & quàm ocyſsimè quoquoverſùm intrò ſubire potis eſt. Aquam è ſanguine maialis, qui caſtratus eſt verres, in theſauro Euonymi deſcriptam experimento conſtare aiunt, aduerſus venena & peſtilentiam ſtrenuè auxiliari. Pulueri è Mercurio, cui aut theriaces aut elect. de gemmis momentum acceſſerit cum ſucco cnici ſylueſtris alterius, tantum à pleríſque non ineruditis viris tribui audio, vt hauſtus ipſo ſtatim mali initio virus peſtilens potentiſsimè profligare dicatur. Puluis verò cui Saxonico nomen inditum quémque Moibano Medica Reſp. fert acceptum, vt ad peſtem ſingulare præſentaneúmque remedium, à nonnullis in cœlum tollitur. Aquam Theriacalem Petrus Dorn Paracelſi diſcipulus haud ita pridem euulgauit, cuius anteà vſu, vt dicunt, fœliciſsimo in magna illa peſtilentia quæ poſtremò Lugduni graſſata eſt è Medicis quendam haud ignobilem ferunt ex facili gentem illam in admirationem ſui pertraxiſſe. His addere placet haud iniucundam noſtram è ſtibio compoſitionem, vt iis tandem ſatisfiat qui aduerſus peſtem

eo remedio tantoperè delectantur. Vt enim metallici huius vſus alioqui ferè periculi plenißimus exiſtit: ita nullo periculi metu, ſucceſſu verò, vt arbitror, fœlici ſub ipſius morbi principium exhibeas, hac adhibita præparatione: quæ Recipit pulu. antidoti liberantis aut electarij è gemmis cardiaciue pulueris d. Fernelij drach. iiij. ſtibij hyacinthini ex ſale foſsitio præparati & in tenuiſsimum pollinem redacti drach. j. ß. maſtiches Chiæ drach. ß. Omnibus exactè ad læuorẽ contritis ac probè permiſtis addita ſaccharis albiſsimi ſoluti aqua vel bugl. vel roſarum vel meliſſophylli ſelibra concinnetur elect. per teſſellas pondo drach. iij. Doſis tabella vna. Eſt & amuletis ſeu περιάπτοις ſua laus: quo ex cenſu ſilentio prætereunda non eſt Iacobi Carpenſis placenta illa, ex arſenici cryſtallini partibus duabus, rubri verò arſenici (quæ Veterum eſt ſandaracha) parte vna, cum oui albumine aut certè tragacanthæ mucagine. Quæſita externo iſti medicamento inuentáque fides teſtimonio multorum: & experientia ipſa compertum placentam ſacculo ſerico aut ex quauis alia tenuiſsimæ texturæ materia obuolutam ac cordis è regione geſtatam, ſanos quidem à contagij labe immunes omninóque illæſos ſeruaſſe: ægris verò magnum adiumentum attuliſſe, venenatæ materiæ depulſionis cauſam aliis aliam exiſtimantibus. Hi ſiquidem occultiore

occultiore vi arrhenicum venenis obsistere: illi cor primario affici solitum viscus veneno sensim assuefacere, quò nec tam repentè nec sine negotio queat cæca violentáque nimiùm pernicie corripi. Sed horum posterior illa ratio quàm firma rectáve sit, aliorum esto iudicium. Constat sanè arrhenicum non occulta vi, sed sola rosione esse lethiferum, ac proinde haudquaquam in venenis haberi oportêre: eósque turpiter errare ac decipi, qui aut venenum veneno alio pelli aut veneno, quod nusquam est vbi solum est arrhenicum, cor paulatim assuefieri temerè credunt. Quid plura? Auripigmento albo eum in modum gestato vtebatur & Aloisius à Vicecomitib9 haud simplici quidem illo sinceróve, sed, quò maior euidentiórque foret eius ad pestem efficacitas, additis bolo Armena ac terra Lemnia: quarum in locum suffecerunt nonnulli margaritas & hyacinthos. Plura si quis huic instituto congruẽtia desideret, & ex arcanis Conradi Gesneri & è recentiorum omnium qui de pestilentia memoriæ aliquid prodidere commentariis expedita illi inquisitio atque inuestigatio. Nobis sat hoc loco monuisse visum, ex assumendis hoc genus medicamentis validissima quæque, dum labem dũtaxat præcauere studium est, vel nunquã, vel rarò ac tùm quoque parcissimè deglutienda. Contrà verò ad præsentis iam pe-

ſtilentiæ curationem & liberaliùs & frequentiùs eſſe vſurpanda: vt quæ eò plùs cõferant, quò peſtis expugnandæ obtundendorúmque aut etiam extinguendorum conficiendorúmque venenorum vim maiorem ſortita fuerint.

DE PESTIS CVratione.

¶ Generalis & compendiaria peſtilentium morborum curandorum Methodus. Cap. Vij.

Præfatio. HActenus primo quidem loco de affectus eius cuius appellatio propria peſtis eſt vi, natura, differẽtiis, formis, cauſis atque ſignis, dein de eius ipſius arcendæ auertẽdæq́ue ratione nõ vt argumẽti dignitas ipſas poſtulat, ſed pro ingenij mei tenuitate pertractaui. Vnũ nobis ídque omnium maximè arduum reſtat, vt noſtris hominibus eius curandę, ſiqua ſanationis ſpes eſt, viam aliquam ſecemus atque muniamus. Tametſi enim prætermiſſum à nobis, quod equidem ſciam, eorum nihil eſt, quibus

quibus arbitror pestilentis materiæ noxam præcaueri posse: quia tamen neque fieri potest, neque æuo vllo fieri vnquam potuit poterítve, quin si doctiorum aut nostrum istud consilium secuti ex hominum genere multi ab ea penitus illæsi permânserint, plures tamen alij in eandem incurrant incauti: siue tanto valetudinis studio nõ teneantur quãto foret opus vt sedulò sibi ab imminenti pernicie cauerent, siue iis ipsis id incommodi ex nimiùm frequenti quotidianáve cum inquinatis consuetudine aut aëris malignitate maxima, siue denique (ne causis anxiè causas plures attexam) ex cœlum terrásque tuentis ac regentis Dei pura peculiaríque voluntate ac iudicio accesserit. Ideò quò fructus operæ nostræ ad plures emanet atque perueniat, haud alienum ab instituto nostro fore existimo, hoc loci quid ego de ipsa quoque curatione sperem quídve sentiam, paucis subnectere: quanquam tanta de re sermonis difficilius exitum quàm principiũ inuenire, facilius contrà quid non sentiam quàm quid sentiam dicere. Est certè pestis senior quàm ætas gentium ac ciuitatum nostrarum, sed cuius tamen certum alexeteriũ nec norunt adhuc vlli, nec nosse potuerunt. Omitto maiores: ego certè quidem affirmare audebo complures hodierna die singulari doctrina & autoritate esse viros, qui tam atrocis veneni támque præsentis perniciei

curationem non agnoſcunt vllam & humanis viribus inueniri poſſe diffidant, ídque nõ iniuria: quando tam cita plerunque támque ſubitò interimens morbi vis eſſe ſolet, vt remedia quæuis eludat. Ex quo efficitur illud, vt is ſolus intelligat à quo petendũ remedium ſit, qui vnde peſtis orta ſit quaſi recordetur ac noſcat. Sit igitur hoc iam à principio hominum generi perſuaſum, ab alio nullo peſtis ἀλεξητήριον ſperandum eſſe, niſi à domino rerum omnium ac moderatore Deo: ratúmque ſit ea quæ gerantur eius geri ditione atque numine, eũdem qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem intuêri, peſti vim ineſſe velle ad rectè facta vocandi & à peccatis auocandi, piorúmque & impiorum hãc habere rationem vt hos exitio ſempiterno deuotos perdat, illos eo mortis genere & è medio tollat & in cœlũ quaſi in domicilium ſuum recipiat. Neque verò vllum adhuc, quod animaduerterim, proprium certúmve inuentum eſſe auxilium in confeſſo eſt, quod peculiari dote & ἀντιπαθείᾳ calamitoſæ & internecinæ peſti repugnare compertum exploratúmque ſit. Idipſum fatetur vel ipſe Pætus Hipp. æqualis: dũ ſuis ad Regẽ Perſarũ literis audacter & apertè pernegat, τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύειν τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους. Quid quòd & Galenus ipſe palàm de imbecilla nimiùm natu-

In epiſtol. Hippocr.

Lib. 3. de præſag. ex pulſib.

ræ facultate queritur, ac deplorat excogitari vix poſſe medicamẽtum quod cor occupanti putredini rectè queat opponi? Nec abs re, cùm abditior occultáque ſit penitus ipſius effectrix cauſa, conſtétque inter Medicos niſi cognita morbi cauſa perquàm difficilem eſſe remediorum inuentionem. Mirarer profectò de re adeò neceſſaria diuturnum nimis Antiquorum ſilẽtium, niſi hoc ipſum quod modò dixi cauſæ fuiſſe crederem, cur maiores olim noſtri de peſtilentia curanda aut nihil omnino aut certè perquàm pauca diſſeruerint. Nec enim, ſat ſcio, voluntas iis ipſis, ſed voluntati potiùs ipſa facultas videtur defuiſſe. At verò parum acuti noſtri homines, recentiores inquàm ferè omnes, rei perquàm difficilis difficultatem haud animaduertere tãtam: ſed τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν priſcorum Empiricorum, quos non ineptè itidem τηρητικοὺς nuncupant, commune ad inquirenda inueſtigandáque remedia inſtrumentũ imitati, quę venenatis morbis cõmuni quadam ratione conuenire didicerũt eadem propè omnia vniuerſim ſigillatímque ad peſtilentes affectus tranſtulere, perſuaſi videlicet cum aliis venenis veneno peſtilenti ex neceſsitate congruam eſſe analogiam. Atque hac imbuti opinione de peſtilentiæ curatione prolixis editis commentariis tam multa támque varia in apertum protulere, vt extrema conati videantur.

Gal. lib. 7. meth. med.

His ita positis omnino relinqui videtur, vt siue horum siue illorum subscribam sententiæ, sit hoc ipso loco expectanda fabulæ, vt aiunt, catastrophe. Enimuerò si curationem pestis nullã agnosco, quid tam vanum fuerit támque à prudentis viri officio alienum, quàm operam ludere in eo argumenti genere quod supra humani ingenij vires & rerũ naturæ facultatem esse compertum habeam? Quòd si de pestilentiæ curatione multa ab his antè & grauia & vtilia accuratè copioséque tradita & præcepta sunt, perdifficiléque est iis ipsis meliora inuenire, mihíque præsertim qui neque vsu satis & ingenio parum possum, cuiusque ætati danda venia est: quid erit necesse me post tot tantósque viros manum admouere calamo? Superuacaneum certè & otiosi fuerit hominis ea repetere denuóque inculcare quæ iam ornatè satis & apertè tradita antè disputatáque sunt, ab iis certè quidem doctissimis clarissimísque viris qui hac ætate non parum multi & sunt hodie & antehac fuerunt. Nam hoc loco (quod anteà iam innuisse videor) alto silentio prætermittendas duco Empiricorum disciplinas alias, quę pestis naturam omnem peruertunt, quia ab iis curandæ pestis præcepta firma stabiliáque tradi nulla possunt. Huc accedit quòd qui venenata qualitate prætermissa in solo calore pestilentem febrem constituunt, aut qui supra vulgaris pu-

tredinis conditionem nihil animaduertunt, atque adeò ignorata neglectáve causa primaria præter phlebotomiam & purgationes nihil habent in ore: horum inquàm omniũ iniuriosam planéque perniciosam esse curandi rationem nemo non hodie videt: plurimi, proh dolor, magno suo malo quotidie experiuntur. Sed tempestiuum iam est ad eã sermonis partem ex qua egressi sumus reuertamur. Hæ modò ac planè paulò antè cõmemoratæ res rationésque animo diu multúmque sic agitatæ mouere atque adeò impulere me propemodùm, vt mutata sententia mutatóque consilio curandi rationem, vt cuius spem vix vllam haberem, nullatenus attingerem, hócque loco scribendi finem facerem: fecissémque profectò, nisi me vt natura ita & officio Parens optimus quíque in hoc opusculo desiderari nihil cupiebant amici non vulgares & remediũ anceps quàm nullum experiri satius esse censuissent, & crebro suo hortatu quotidianáque efflagitatione in eas me angustias coëgissent, vt illis nõ potuerim non ex parte saltem morem gerere: ac si non rerum nouitate, at facilitate tamen, compendio & ordine illorum desiderio satisfacere quibus negare aliquid nefas & impium esse ducerem. Quamobrem auctarij vice pro eo ac debui vniuersam hanc pestis curandæ methodum summatim breuitérque perstringendam tandem & ante o-

culos ponendam duxi: quæ expedita quidē eruditis foret, rudioribus verò concisa & breuior. Quandoquidem eorum qui de curanda pestilentia rectiùs sensisse uidebantur præcepta duntaxat generalia eáque nuda secutus sum: remediorum verò formulas ipsas non nisi perpaucas adieci, simul ne iusto maiorem in molem volumen excresceret, simul ne dum prouectiores leuare studuissem, inertium fouisse viderer ignauiam: quo in vitio, mea sentētia, sunt quotquot hodie scribendi rationem sic instituunt, vt longa formularū serie ac farragine suos libros infarciant. Fit enim nescio quo modo, vt ista formularum quasi ῥαψῳδίᾳ ad imperitam audaciam & impudentiam omnem fenestram aperiant τῇ ἀλόγῳ ἐμπειρίᾳ & imposturis eorū, quibus antiquius nihil est quàm vt omissis fontibus riuulos consectentur, & corrogatis hinc inde aliquot præscriptionū formulis ἄσκοπα τοξεύοντες misero vulgo palàm imponant, omniúmque, quod aiunt, oculos uno curent collyrio. Hæc eò dolentiùs à me deplorantur, quò maiores hodie sunt eiusmodi Medicinam infamantium hominum greges, tótque ac tanti, vt eos, quod in prouerbio est, vix vna vehat nauis. Nec verò formulis eiusmodi præscribundis semel tantùm peccatur, sed ex peccato peccatum aliud nascitur. Communia siquidem multorum hominū auxilia, ac ex his ea maximè

ximè quæ corpus intrò ſubeunt, in tãta corporum varietate quis religioſè ac bona fide præſcribat? Vt enim cæteræ res quæ præſcribuntur à Medicis, ſic & ea non hominum vniuerſo generi, ſed ſingula ſingulis opportuna conuenientiáq; ſint oportet: cùm præſertim (quod non ſemel Galenus ipſe admonet) non homo, ſed Plato aut Socrates, hic inquàm vel ille curandus Medico proponatur. Ac mihi quidem certè perinde facere videntur qui temerè formulas ſuas omnibus ex æquo coaptari volunt, quaſi vno omnes calopodio calciari poſſe putent. Faceſſat igitur Empiricorũ iſte mos, ſintq; in promtu ſingula ſingulis naturis accommodanda remedia. Sed ad rem.

Peſtilentibus affectibus vtcũque præcipitanter afferẽda remedia.

Quandoquidem morbi hi omnes quibus de ſermo nobis in præſentia eſt ſuapte natura præcipites & peracuti ſunt, ac proinde extremos protinus labores corporibus ſciſcunt, nedum longioris moræ dent inducias: eapropter vt ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται, remediáque ipſa non maturè modò ac diligẽter, verumetiam, vt ait Celſus, cum quadam temeritate rapienda. Καιρὸς γὰρ ὀξὺς Hipp. cui ipſi in acutorum morborum genere non maturè ſtatui, ſed tardari remedia malum. Quòd ſi mora paulò longiore vitæ facultates labefactari, imminui aut (quod interneci oni proximum eſt) proſterni, aut denique exitioſa

Hipp. aph. 6. ſect. 1.

Lib. 3. ca. 7.
Sect. 1. aph. 1.
Sect. 4. aph. 10.

veneni vi atque pernicie penitus occupari viſcus nobiliſsimũ patimur, tùm hauddubiè rebus nimirùm deſperatis tardiùs fruſtráque ſuccurritur.

Simplicis tũ peſtis tum peſtilentis febris curatio.

Ergo ſi quempiam abſque humorum aut partis alicuius vitio integrè ſanum occulta pernicies inuadit eáque ſimplex ac ſolitaria, peſtem gigni ſimplicem aut certè quidem febrem peſtilentem ſimplicem anteà rectè docuimus: ſimplicis verò affectus eſſe oportere ſimplicẽ curationẽ. Quare in eiuſmodi affectus curãdos cùm inciderit Medicus, ſine mora mali primo ſtatim inſultu, anteaquàm videlicet inualeſcat virus radicéſve altiùs agat, remedia exhibeat quæ totius ſubſtantiæ proprietate firmato cordis robore virus obtundãt aut ipſum penitus abſorbeãt, corpore excludant aut certè à viſcere ipſo quàm longiſsimè arceant & amoliantur. Priùs tamen ſi fortè peſte peſtilentíve febre derepentè correpto ventriculus cibo adhuc aut impuritate quapiam refertus alitérve occupatus diſtineatur, ſitque æger natura εὐεμὴς: concitandus illico vomitus vel hydrelæo vel butyro aut adipe anſeris alióve pingui ex aqua tepente, aut etiam digito ipſo penitiùs in os indito. Impuritate dein eiuſmodi vacuata repurgatóque ventriculo, ſi peſtis erit ſimplex, tùm peropportunè morbo contrarias antidotos eáſque puras ſinceras & ab omni permiſtione alienas exhibeas: ſin peſtilens

Cap. 3. pag. 35.

erit

erit febris, his ipſis ea rectè permiſceas quæ & febrilem ardorē mitigēt & ſpirituum humorúmve agitationem feruorémque compeſcant. Neque verò fouendus & ſuſtinendus ampliùs, ſed longè potiùs depellendus omninóque explodendus eſt temerarius ille nimiúmque manifeſta pernicie iniurioſus error qui hactenus magno mortalium malo atque incommodo vnà cum multis ſeculis ætatibúſque hominum inueterauit: corū inquàm qui non modò in peſtilentium morborum præcautione, ſed (quod multò pernicioſius eſt) in ipſa etiam curatione nunquam intermittendam ſanguinis miſsionem vel certè purgationem (tanquam hæc duo primaria præcipuáque forent ad luem depellendam auxilia) falſò arbitrati ſunt. Cùm enim quæ peſtem facit occulta pernicies nec ex plenitate genita nec in humorū vitio poſita ſit, quin potiùs à venenata qualitate penitus totáque pendeat: obſecro, quî fieri poteſt, vt purgatio & φλεβοτομία opis aliquid afferant? Quaſi verò conuenientius non ſit tutiúſque venarum ductus leuiter obſtrui atque aſtringi, quominùs venenata vis atque qualitas impetu maiore in viſcera principéſque partes inuadat ſeſéque inſinuet, ac vires vi morbi labefactatas fractáſque fouere tueríque melius non ſit? Quid quòd hæc quæ putantur auxilia perniciem eam (vt illis videri queat) minimè omnium vel ſummo-

Celſ. cap. 7. lib. 3.

uent vel imminuunt cohibéntve, ſed contrà ægrotantes grauiùs offendunt, nedum adiuuent: morbum ipſum exaugent & acutiorem truculentiorémque reddunt, tantum abeſt vt aliqua ex parte vllâve ratione leuẽt? Nec id quidem mirum: quando vires ipſas in hoc affectuum genere vtplurimùm languẽtes ac propemodùm iam fractas eadem magis atterunt atque imminuunt,& (quod ſummoperè pertimeſcendum fuerat) intrò ad viſcera reuocato veneno naturæ motum,qui ſalutaris eſſe poterat,ſiſtunt omnino,aut certè impediunt & interturbant. Huc accedit, quòd quibus peſte prehenſis ſine mox ab initio ſiue poſteà eſſent humores cathartico medicamento exagitati vehementiùs vel eſſet corpus miſsione ſanguinis exinanitum, ij ferè omnes aut non multò pòſt obierunt aut in deterius lapſi ſunt. Id quod annis ſuperioribus,qui Geneuenſibus præſertim peſtilentia infames fuêre, rerum magiſtra experientia (proh dolor) edocti fuimus: integram verò perfectámque ſanationem his duntaxat completam fuiſſe quæ veneni vim omnem eliminarent, aut certè coërcerent atque reſtinguerent. Hucuſque argumentorum ſatis ad euertendam funditus recentiorum abſurdam illam nimiúmque futilem opinionem, quæ primùm ex parum intellectis orta Veteribus,nullis rationibus ſtabilita:ſed partim ficta pueriliter, partim

tim effuttita temerè, ita demum hactenus in populo iactationem habuit.

Nec verò inficias ierim incidere sæpe res eiusmodi, vt quæ tã sedulò cauenda satis supérq; monuimus vtraq; ea cõuenire interdũ & expedire suóque loco ac tempore administrari sit necesse. Nam si corpus impurum ipsa velut tempestas corripiat, atque ita vt plethωra, obstructio, cacochymia aliáve cõtra naturam interior causa perniciei pestilenti permisceatur: tùm hauddubiè vt pestis exurget composita & ex implicitorum affectuum genere, ita mistam quoque & implicitam medendi rationem desiderabit. Consentaneum enim vt affectui simplici simplicem, ita & composito compositam deberi curationem. Igitur in curanda huiusmodi pestilentia tantisper dum viam nullam per quam sese expurget aut exoneret inibit natura, & spes salutis aliqua affulserit affueritque virium robur ac firmitas: non priùs remedia adferes quæ totius substantiæ contrarietate morbum profligent, quàm diligenti cum præmeditatione aut venam secueris aut purgationem præscripseris: nempe vt vel quæ subest impuritas ex arte summoueatur, vel corp9 leuetur humoris eo põdere quo plurimùm anteà grauabatur. Alioquin hæc vitia atque incommoda si negligantur, & perniciem occultam fouebunt & antidotorum vires infirmas & parum effica-

Febris pestilentis putrida curatio.

Hipp. aph. 29. sect. 2.

Hipp. aph. 24. sect. 1.

ces reddent. In cacochymia ſiquidem,ac ea præſertim quæ ventriculum, primas venas viſceráque occupauerit, medicamentorum vires quaſi frangentur & hebeteſcent, haud ſecus ac ſi in lutum ſordidiſsimum demergerentur. In obſtructione verò atque plethora, cui ferè etiam ſubeſt obſtructio, præcluduntur impediuntúrque viæ quibus iter eſt ad affectam ſedem, nec eò proinde poterunt ἀλεξητήρια viribus integris peruenire. Omnino autem horum vitiorum & incommodorum vna cautio eſt atque vna prouiſio, vt ea protinus arte ſummoueas. At vbi morbi vigor iam adeſſe aut ad ſtatum is vergere videbitur, aut viam aliquam ſibi natura fecerit per quam venenatæ materiæ totius aut ex parte conſecutura ſit expulſio, omni eorum auxiliorum genere quantumuis alioqui neceſſario ſuperſedendum: τὰ γὰρ κρινόμενα, inquit Hipp. καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ᾽ ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ᾽ ἐᾶν. Nec immeritò id: nam cùm & res & morbus ſic ſe habent, ſiquid de ſecanda vena aut purgatione ſtatuatur, metus eſſe debebit, ne quę ſecerni iam ac foras excludi cœperit venenata pernicies introrſum non ſine periculo reuocetur aut in omne corpus quoquouerſum diffundatur: & qui ſalutis ſpē facere debeat naturæ motus interpelletur, cohibeatúrque eiuſdē impetus quem ex Hipp. ſententia iuuari

Aph. 20. ſect. 1.

Aph. 21. ſect. 1. & 6. epid. ſect. 5. aph. 1.

uari potiùs oporteat. Si quis ſecus decernat faxítve, is proculdubiò vacuando læſionem grauiſsimam afferet, quæ vitari prætermiſsis vacuantibus auxiliis negotio nullo poterat. Sciendum etiam illud eſt ac pro certo habendum, viribus iam exolutis (quod in tam diro cruciatu inſolens nõ eſt) haud eſſe quòd vacuando fœlicem aliquem exitum polliceri tibi vel poſsis vel debeas: cùm vacuationis excuſatio nulla ſit, ſi cum virium & natiui caloris defectu iacturáve fiat, vt quarum ope vacuationem omnem iuuari debere nemo eſt qui neſciat. Iam vt ab vniuerſis ad particularia ſeſe noſtra referat oratio, licebit etiam tùm plethωra grauante aut etiã vaſorum tenſione moleſta, ab iis ipſis partibus in quas humores à natura protruſi decubuerint particularem moliri vacuationẽ, ídque adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis. Longè ſiquidem tùm vtilior fuerit παροχέτευσις, hoc eſt, quæ deriuationis ergo fiat euacuatio, quã quæ reuellat aut ex æquo corpus vniuerſum euacuet. Quotieſcunque verò vacuationem vniuerſam conuenire Medici iudicium fuerit, ſiue phlebotomo ea ſiue cathartico aut vtraque ratione inſtituenda videatur, alexipharmacis eam præmittendã eſſe ratis & immotis Medicinæ legibus ſancitum eſt. Sin harum vacuationum alterutra aut etiam vtraque ſuperſedendum morbi viriúmque ratio indicet, tùm iis neglectis ſine

mora exhibendæ ex antidotis lectiſsimæ quæque omniúmque maximè ad id quod cupimus idoneæ, hoc eſt, quæ ſeminaria contagij præſentémque perniciem corroborato firmatóque pręcipuo viſcere obterant, frangant, extinguant aut omnino è corpore pellant. Huiuſmodi verò omnia tum ſimplicia tum compoſita legi promtum fuerit ex fœcundiſsima ſylua eorum remediorum quæ anteà ſunt à nobis recenſita. Cùm enim, authore Galeno, ſimilis ac propemodùm vna eadémque ratio ſit mali quod adhuc imminet præcauendi & eius quod iam inuaſit depellendi, conſentaneum videtur eadem remedia & ad profligandam & ad auertendã præcauendámque hanc luem valere, peropportunáque & idonea eſſe: Veruntamen quæ ad arcendam peſtilentiam ex vino hauſta bene facere antè diximus, hęc eadem, dũ curandi conſilium eſt & febris adfuerit, ex aqua decoctóve aut liquore alio refrigerandi vi prędito propinanda cenſuerim: ſed hac tamen rurſum adhibita obſeruatione, vt ne remedij genus idem perpetuò ſæpiúſve repetitum vſurpes: quin potiùs delectu habito modò hæc modò illa viciſsim afferas, ne videlicet vni cuipiam aſſuefacta natura eius vim non ſentiat & aſpernetur. Cæterùm antidotorum earum quæ profligando quàm quæ præcauendo morbo exhibentur modũ lõgè maiorem, modò vt ne læſionem ægrotanti

Lib. 4. de tu. ſan. in principio.

Antidotorum exhibẽdorum ratio

tanti vllam afferat, ex necessitate requiri vsu periti omnes apertè commonefaciunt. Sed hoc insuper consultum ac pervtile fuerit, vt pestilentiæ medicina subinde sæpius ac die etiam si res postulet eodem iteretur, totiésque repetatur quoties ipsa reuomitur. Huc pertinere meo iudicio videntur Galeni hæc: *Portio antidoti quæ priùs semel hausta tutum à morte quempiam ex facili præstitisset, eadē venenum subsecuta non nisi quadrupla quincupláve, nec tum temporis semel modò sed bis etiā térve quoad vzt veneni vis fracta victáque omnino sit, diebus singulis hausta quicquā iuuerit.* Huic Galeni methodo consentanea planè quæ de antidotorum ratione vtendíque modo tradita modò à nobis & præcepta sunt. Sed hæc nostrorū hominū incuria atque ignoratione neglecta iacent: & in tenebris iacebunt, nisi priscæ medicinæ lumen aliquod affulserit. Antidotos, aiunt, laudibus expectationi atque cōceptæ de se opinioni non respondere. Difficile est, fateor, de omnibus dicere: sed tamen est certum quid respondeam: plerunque non tam remediorum uim imbecillam accusandam quàm nō rectè administrantium Medicorum (doctos semper excipio) vitium, aut ægrorum ipsorum imprudentiam. Nam in administrandis remediis ab illis quotidie multa peccari nemo non videt. Tempus exhibendi medicamenti non seruant, non medicamēti mo-

Lib. 1. de antid. cap. 2. Sic Aeg. lib. 5. ca. 28.

dum, non numerum. Atque vt à primo exordiamur, ſeriùs ac tardè nimiùm antidota exhiberi altiùs iam in corpus illapſo veneno principibúſque partibus labefactatis quis neſciat? Et in eo tamen turpiter plerunque peccari palàm eſt: ſiue (quod ferè accidit) morbi natura ac forma initiò incognita aut nondum ſatis perſpecta, ſiue quòd intempeſtiuè Medici ſeriúſque accerſantur, ſiue deníque ægrotos ipſos inuiſere grauentur atque faſtidiant. Alterum peccatum & id quidem non minùs graue ad antidoti modum pertinet. Nam & in eo peccant, quòd expreſſorum adeóque ſignificantium Galeni verborum parùm memores, antidotos parciore nec ſatis liberali manu propinant. Tertius nec leuis error in ipſo numero committitur, dum ſuum ſe illi officium feciſſe arbitrantur ſemel duntaxat exhibitis remediis, quæ non ſemel modò, ſed bis tèrve aut ſæpiùs etiam afferri debere reperitur. Ergo tam manifeſto antidotorum abuſu mirum ampliùs nemini videri debet, ſi quę multis olim ſaluti fuere opis & auxilij vix quicquā hodie ferre deprehendantur. Iniurioſa profectò nimiúmque hominum generi pernicioſa huiuſmodi Medicorum ſeu negligentia ſeu ignoratio. Sed tolerabilia iſta forent vt humana errata omnia, niſi in eo fruſtrà nequitérque laborarent, vt ſanationis ſpem fruſtratam medicamentorum alij vitio, pe-

nuriæ

nuriæ alij aſcribant. Sed ne longiùs ab inſtituto recedamus, vt aſſumendis ſua laus eſt & vtilitas Scriptorũ magnis ingeniis celebrata, ita & eorum quæ foris admouentur ſuus & vſus & honos eſt: vt quorum non paruam eſſe vim experientia compertum teſtatúmque ſit. Igitur vt ſuum cordi robur firmitatémque tuearis, ac toto etiamnum genere infenſam venenatámque materiam ex parte diſcutias, mox ab ipſo mali exortu epithemata ex panniculo coccineo calidiora infra ſiniſtram mammam duobus circiter digitis haud inutiliter appones, ac eadem ſubinde permutabis cùm primùm exaruerint. Quoniam verò remediorum formæ aliæ aliis magis minúſve placent, epithematum vice ſacculos ſericos coccineos puluiſculis refertos conuenientibus, ſed cordis inſtar in mucronẽ turbinatos alij, alij quadratos eidẽ regioni admouendos prudenter excogitarunt. Parum fidei περιάμμασιν habendum putarem, niſi & à præclaris olim ingeniis celebrata forent & à Patribus, vti ſcribunt, vtiliter vſurpata. Cæterùm vt contagij ſeminaria non alterentur modò, retundantur frangantúrve, ſed quantũ fieri poterit radicitus etiã extirpentur, educantur foráſque proliciantur neceſſariũ propterea videtur, quòd eadẽ (aptè loqui ſi velimus) alterari minimè, hoc eſt, in ſuccum familiarem aliúdve quidpiam naturæ congruens mutari, multò verò

Admouenda.

minùs corporibus aſsimilari vllo modo poſ ſunt. Reliquum igitur eſt, vt vno aliquo vacuationis genere foras extrahantur. Qua inquies via? Ea profectò, quam dux optima natura venenatæ materiæ expulſionem molita tentandam potiſsimùm ineundámve commonſtrarit. Ex quo intelligi par eſt, ſi cutis mador eſt, aut vi motúque naturæ ſudoris nonnihil vel tantillum extunditur, hãc ipſam haud cunctanter (vt aliàs præcipiti occaſione feſtinandum ſemper) iuuari oportere, exhibitis ἱδρωτικοῖς, quorum ea ſit vis vt humores ipſámque adeò venenatam perniciem dum ex alto ad cutim transferunt, malum ſimul etiam ipſum euincant. Huiuſmodi multa ex tenuantium genere hoc loco commemorarem, niſi plurima iam inter ἀλεξιφάρμακα fuiſſent à me recenſita. Hæc ſi infirma adeò reipſa ſint aut duntaxat eſſe videantur, vt per ſe nec niſi externo adiuta auxilio quam molimur expulſionem promouere ſatis haud valeant: fuerit ex vſu, quò celeriùs copioſioréſque vndique ſudores eliciantur, ex decocto quopiam idoneo & huic rei accommodato fotus adhibere: aut eidem decocto immerſas primùm, dein leuiùs expreſſas grandiores ſpongias dorſo ac pectori calentes in eundem vſum finémque admouere. Hanc porrò viam ei vacuationi ſeu euaporationi tùm fore expeditiſsimam atque conuenientiſsimam ex eo palàm eſt, quòd

Hipp. aph. 21. sect. 1.

Sudores quando eliciendi.

quòd naturæ vi iam ſunt in omnem corporis habitum pulſa diſperſáque cõtagij ſeminaria, ibíque ſpiritibus humoribúſq; velut agglutinata adhęreſcũt. Inde verò adeò fieri vix poteſt, quĩ copioſa ſudorũ eruptione quadantenus & ipſa vacuẽtur. Atq; ideò etiã aptiſsimè nec abs re prodidit Celſus, ingentem ſudorem effuſum ferè peſtis auxilium eſſe præſentiſsimum. Quòd ſi in emiſſariorum aliquod ſimul cum venenata materie humores propulſi partẽ titillare videbuntur aut naturæ firmioris adhuc motũ impetúmque materiæ decumbentis aliquem præſignificare, vel inde ſumta indicatione naturam ſine mora iuuare operæpretium fuerit tum aliis quæ trahendo parti calorem accerſant, tum etiam cucurbitulis admotis, quæ perniciei quicquid in motu eſt promtiùs à principe parte reuellant & vel exhauriant vel foràs euocent. Hæc curandi ratio natura duce ſuſcepta tutáque vt perplacet, ita diſplicet omnino etiãtum cùm prorſus iners atque deſes natura nullatenus munere ſuo defungitur videtúrque malo propè ſuccumbere. Intempeſtiua & audax eorũ curatio qui miſeros ægrotantes fruſtra fatigant, aliàs excitatis toto corpore ſudoribus, aliàs adhibitis cucurbitulis alióve quouis ἐπισπαστικῶν auxiliorum genere: vt quos ſatius, iudicio meo, foret nihil agere quàm fruſtra inanitérque ægrotantium corpora ve-

Lib. 3. cap. 7.

Epiſpaſticon vſus.

xare incertámque pro certa curationem ſuſcipere: quę omnia otioſorum ſunt hominum atque vires, valetudinem, vitam alienam ac Medicinæ decus ipſum pro nihilo habentiũ. Nam etſi auxilia id genus, dum vi quadam maiore quod vel peſtiferum vel alioqui vitioſum alto medióque corpore conceptum eſt ad ſeſe rapere atque pertrahere adeóque corpus internum exonerare poſſunt, ad ſanitatem non parum collatura cuipiam fortè videantur: quia tamen & temeraria & planè ἀμέθοδος, quinetiam periculi foret pleniſſima quæ tum per ea ſuſciperetur medendi ratio, hanc vt à Medici officio longè alieniſſimam, ita &, quantumuis robuſtæ fuerint ægrotantium vires, nunquam admittendam cenſuerim. Ergo qui naturæ miniſter modò atque adiutor eſt, nec verbo tantùm ſed re ac facto Medicus, re dubia non maturabit, expectabit potiùs dum aliquid ipſa per ſe natura moliatur, animaduertetq́; ſtudioſè quorſũ ipſa vergat quáve parte infenſæ materiæ quærat exitum. Enimuerò qui naturæ motus anteuertere & incerta pro certis habere audent, quid opis & auxilij ferre, quídve aliud efficere poſſunt, quàm naturam meliùs fortè aut in contrarium aliud quiddam moturam ab inſtituto, ab opere inquàm ipſo non ſine vitæ diſcrimine auocare & abſtrahere? Ipſe quid ſentiã dixiſſe contentus, de aliorum variis atque in-

ter

ter se discrepantibus sententiis iudicium in medio relinquo.

Iam quia rectè curaturum eum spes est quem mali prima origo non fefellerit, interea dum antedicta ísthæc omnia prudenter & ex arte administrãtur, aëris rationem potissimam perpetuò haberi velim: vt cuius vitium malo non modò initia dederit, sed eius etiam euidens primariáque causa extiterit, qua manente morbum deleri vnum ex iis est quæ fieri omnino non possunt. Quare mutandus subinde is est ac suffitibus, odoramentis, luculentis ignibus ex odorata materie aut accensis odoribus repurgandus. Eidem, si calidior natura fuerit, opposito frigore moderatio paranda: omni denique ratione & arte emendandus aër, dum purior atque salubrior euadat. Luculentos verò ignes atque ex his odoratos maximè si quicquam aliud, comparando aëri puriori plurimùm conferre Hipp. seculo iam olim vsus ostendit: documento illud etiam est, quòd, quemadmodũ & antè diximus, diffusis per offusum nobis aërem pestilentiæ seminariis potenter non modò absumendis discutiendísque, sed etiam extinguẽdis, inquinamentísque omnibus abolendis aptissimi omnino sempérque sunt comperti. Aeger verò ipse, si præsertim febris accesserit, nec multis nec grauibus vestimentis tegumentísve strangulandus (vti rectè monuit Celsus) sed admo-

Aër.

Lib. 3. cap. 7.

dum leuibus, ac iis quidem pro temporis ratione pluribus paucioribúsve aduersus cœli iniurias muniendus & operiendus est.

Cibus.
Aph.9. & 17.sect.1.
In Meth. med.passim.

Inter Hipp. & Galenum clarissimos authores eius medicinæ quæ victu morbos curat conuenit, primarium atque præcipuum Medici scopum esse debere, dum victũ præscribit, vires ægrotantis vti cõseruet. Quamobrem hæ quò euidentiùs à venenata pestilentíque lue franguntur distrahuntúrve, quantóque exhausto spiritu & innato calido ocyùs atteruntur atque concidunt, tantò accuratiùs studióque maiore (si vnquam aliàs) nõ prohibita modò spirituum dissolutione, verùm spiritibus etiam suffectis eorum in locum qui dissipati deperditique fuerint refocillandæ, instaurandæ atque firmandæ: quas quidem ad res complendas perficiendásque victus ex eo esculentorum potulentorúmque genere quæ ex facili probeque nutriant parcior ísque sæpiùs assumtus plurimum, vt videtur, opis & auxilij attulerit. Nam eiusmodi qui fuerit nec altrici facultati negotium facesset vllum, & aptè recreãdis reficiendísque viribus omnibus abundè sufficiet. Sed per huiusmodi morbos dictu incredibile attamẽ verissimũ, appetitione omni protinus elanguescente ἀνορέκτους fieri ferè omnes, ac cibos non modò non appetere aut deposcere, sed auersari potiùs ac respuere, Rectissimè igitur Razes monuisse cen-

Ad Almans.lib.10.

ſendus, peſte laborantes non tantùm hortandos atque extimulandos, ſed etiam cogẽdos vt cibo ſæpiùs aſſumto vires vitámq; tueantur. Hæc ſi vera ſunt & vtilia, vti certè ſunt, damnanda meritóque explodenda eſt corũ ſententia qui, quia peſtis ex acutiſsimorum genere morbus eſt, aut victum parciſsimum tenuiſsimúmque imperãt: aut cibo ægros in totum abſtinent. Dum enim illi cruditatem leuem & quæ ex facili breuíque ſpatio concoqui poſſet tantoperè extimeſcunt, longè grauiorem noxam, vt quam virium ſequitur exolutio, nullo loco numerant: quanquam (quod vſuuenire ſepe videmus) lõgè grauiſsimum periculum ægrotantibus accerſunt, eóſque ferè vna cum morbo iugulant. Illi ipſi verò quantò rectius ſentirent, ſi vel Auicennam ipſum conſuluiſſent? Hic enim in pleniorem quàm tenuiorem victum hiſce in morbis debere nos eſſe proniores ſatis innuit, dum ſibipſi experimento compertum aſſerit, eorum qui ſeipſos ad cibum inuitent ſeſeque viriliter gerant quamplurimos ex morbo cõualuiſſe, diúque poſteà vixiſſe incolumes. Intelligi tamen velim cibi eum modum adhiberi oportere, quo nõ grauentur opprimantúrve, ſed duntaxat recreentur reficiantúrque vires. Qualitate verò ægrotantibus apprimè vtiles erunt ac tuendis viribus idonei cibi, qui ſuccum quàm optimum ingenerent, ſuauiſsimi ſint & ad concoquen-

Fen. 1.4. tract. & cap. 4.

dum faciles: quo ex numero forma quidem liquidiores & iurulenti solidioribus præferendi, duplici hac ratione: & quia faciliùs illis conficiuntur, & quia cordis humores ipsósque adeò spiritus exhaustos reponũt expeditiùs, Hipp. nõ obscuro hoc testimonio: ῥᾷον πληρῦσθαι ποτῦ ἢ σιτίου. Atque vt à formis ipsis descendamus ad singula: fuerint eiusmodi, cremor ptissanæ quod Latini veteres ptissanarium videntur appellasse, puls auenacea, lac amygdalinum, instaurãtia cardiaca, iura tortiua & glaciata, expressa stillatitia, carnium denique iuscula pingui omni (si quod inerit) detracto, ne ardore concepto febrem adaugeant: ouorum prætereà vitelli & id genus alia quæcunque facilè permeant corpúsque celeriter peruadunt. Horum verò omniũ hic delectus habebitur, vt quæ ægrotãti familiaria magis ipsiúsq; palato gratiora sint, ingratis aliis minúsque iucundis anteferantur. Fuerint porrò hæc eadem in id quod cupimus efficaciora, cardiacis quibusdam adiectis quæ veneno resistant perniciemque oppugnent. Nec verò tam anxiè obseruanda hæc, vt liquida κακοςομάχοις etiam, quibus noxia solent esse, perpetuò exhibenda putem. His enim naturis atque aliis omnibus quæ victu pleniore liberalioréque sustentari postulant, aut largiori alioqui copiosioríque cibo sunt assuefactæ solidiora vt conueniunt, ita & in cibos vtiliter

Aph. 11. sect. 2.

Horat. lib. 2. sat. 3.

Hipp. aph. 18. sect. 2.

liter admittuntur. Sed & ea quoque εὔχυμα καὶ εὔπεπτα ſint oportet: huius generis ſunt panis offulæ iuſculo gallinacei maceratæ aut intritæ, tenellorum ac molliculorum volatilium carnes cæteráque id genus, & inter hæc medius panis lotus. Atque hæc certè quidem omnia, vti & iura ipſa iurulẽtáque, ſuccis acidulis & auſteriuſculis condiri velim: qui & appetẽtiam in hoc affectuum genere ferè ſemper collapſam excitent, & frigore aſtrictionéque leui ſpiritus, ſanguinem & ſuperuacaneos humores cohibeant & reprimant, atque eorum ipſorum vim, feruorem & acrimoniam obtundant atque conſopiant putredinémque, ſi qua in metu eſt, coërceant. Sed, vt varia eſt hominum natura ſúntque corporis partes aliæ aliis validiores imbecillioréſve, quibus neruoſum genus inualidum, quibus pectus anguſtum vel moleſta tuſsis eſt, iis acor non niſi ſaccharo alióve quo hebeteſcat emendatus afferendus eſt. Eſt quando in hoc affectu iuuare acerba queant, ſed antè memoratis poſthabenda, nec niſi rariùs vſurpari debent: alioqui metus eſſe debebit ne στέγνωσιν aut obſtructiones creent grauiſsimorum aliorum ſæpe morborum cauſas.

Potus eſto, ſi febris nulla tumoréſque nulli fuerint, vinum album aut rubellum, ὀλιγόφορον vtrunque, tenue, purum & odoratum ac pro cuiuſque conſuetudine vel meracum vel

Potus.

dilutum magis minúſve. Febre verò leuiore aut iam inclinante, vinum quale diximus adhiberi nullo periculo poterit, ac iis maximè qui pertinaciùs id depoſcunt & efflagitant: aliàs etiam cùm virium proſtratio metuitur, quod in his affectibus non eſt inſolens. Quòd ſi febris ardens ac retorrida adeò ſit vt ardore æger totus æſtuet, in hoc caſu à vino abſtinendum, aquam verò vel ſinceram vel cardiacis ac refrigerantibus medicatam bibere affatim & liberaliter expedit, quæ ardoris & æſtus vehementiam quodammodò leniat atque compeſcat. Sin concoctionis erunt indicia aut febris iam inclinet, inuicem modò aquam modò vinũ bibere licebit. Quòd ſi ex aquæ potu aut obſtructionis aut cruditatis alteriúſve grauioris noxæ metus erit, melius fuerit ſemel cum cinnamomi tantillo aut piperis granis aliquot aut oxalidis, apij graminíſve radicibus decoctam ac dein refrigeratam per ſe aut ex ſerapio aliquo ſuccóve acido potui dare: illa enim concoctionem promouent, hæc obſtructiones expediunt. Horum verò vtrunque commodè præſtabit ſimplex oxyſacchar, ſed id magis cui acceſſerit ex cõcoquentibus vnum aliquod. Quòd ſi qui vinum auidiùs deſiderent, & iis nonnunquam leniùs id, parcius & aqua miſtum indulgendum arbitramur Hipp. autoritate freti: qui paulò peiorem, ſed ſuauiorem tamen cibum

Celſ. cap. 28. lib. 5. Paul. lib. 2. cap. 36. & Auic. fen. 1. 4. tra. & cap. 4.

Aph. 38. ſect. 2.

ac

ac potum meliori quidem ſed ingrato præferendum cenſuit.

Tametſi vigiliarum atque ſomni animantium generi ferè omni hominíque in primis neceſsitas eſt: efficit tamen ſymptomatum ratio diuerſa, vt modò vigiliæ modò ſomnus conueniat ſitque ex vſu magis. Nam vbi veternus premit, aut alto nimis grauioréque ſomno quaſi ſepulti ægrotantes iacent, arcendus is & depellendus eſt modis omnibus ac imperandæ vigiliæ: ſin vigil quodpiã σύμπτωμα aut delirium metuitur, concedendus eſt ſõnus. Etenim qui deliriũ ſedat ſomnus, bonus is quidem Hipp. & ſalutaris exiſtit. Rurſum mali primo ſtatim exortu, maximeque ſi carbunculo bubonéve aut ſudoribus aut quauis alia via Natura peſtilens virus foras pellere & excludere nititur, tùm profectò vt de ſanguine mittẽdo atque purgatione dictum antè eſt, ita & ſomno quoque interdicendum videtur. Siquidem per ſomnum cum innato calore vnà ſpiritus intrò recedunt ibíq; cõduntur colligũtúrque: humores verò à ſuperficie atque extima cute velut in centrum retrahuntur. Periculum autem eſt, ne & contagij ſeminaria in corporis habitũ cœpta diſpergi cum reuocato calore & ipſa introrſum ferantur, perniciémq; viſceribus præſentiſsimam inuehãt: cùm è contrario, vt & Auicennas admonet & doctis ratio ipſa ſuadet, omni ea ſtudio

Somnus & vigilia.

Sect. 2. aph. 2

foras potius euocanda ſint, recteque operantis ac ſeſe exonerantis naturæ motum pro virili iuuare nos oporteat. At ex vigiliis vtilitas perſpicua elucet, quòd virulenta materies nec tã facilè in viſcera exitioſam impreſsionem facere, nec maiores nocendi vires ſibi parare potis eſt: quin potiùs cum ſpiritibus & calore natiuo vnà & ipſa quoque in ſuperficiem foráſque ſeſe diffundit. Nihilominus tamen vt in præſcribendo cibo, ita & hîc virium ægrotantis nunquam non habenda ratio. Hæ enim quia vi ac malignitate morbi iam ſatis imbecilles redditæ ſunt, neceſſaria obſeruatio eſt, vt vigiliarum is ſit modus quo non modo non diſſoluantur magis atq; labaſcãt vires, ſed priſtinã potiùs firmitatem retineant. Id quod aſſequemur, ſi experimentis credentes quemadmodum nec inedia nec ſiti, ita neque vigiliis diuexari ægrotum diutius patiamur: quin potiùs vbi ſat vigilauerit, temporis nonnihil cõcedamus quo per ſomnũ recreētur reficiãtúrq; vires, & leniantur permulceantúrque ſymptomata quæ per immoderatas vigilias exacerbari conſueuerunt. Igitur ſomni neceſsitas eſt, cùm diris cruciatibus ac perpetuis vigiliis deiectæ ac penè proſtratæ vires: tẽpus verò commodum, cùm labore defeſſum corpus eſt aut veneno iam patefacta via. Tùm enim admittendum ſomnum facilè cenſuerim, qui quidem ciborum perficiendæ cõcoctioni

cticni, ægrotantium leuandę inquietudini ac denique tum recolligẽdis ſpiritibus, tum ſarciendis recuperãdíſque viribus par eſſe poſſit. Sin ſatis conſtent firmioréſque ſint vires, vigiliarum opportunitas eſt ſummáque commoditas, tum quantiſper venenum intus deliteſcit, tum vel maximè ſub ipſius morbi principium.

Excrementa. Aluus ſi eſt aſtrictior, ſoluenda mollientibus vel etiam purgantibus enematis, aut balanis cienda acrioribus. Vrinæ verò ſuppreſſæ nec niſi longioribus ex interuallis profluentes, diureticis, ſi nihil obſtat, mouendæ concitandæque ſunt.

Animi perturbationes. Ira, metus, mœror, lamentatio, ſolicitudo ingens, deſperatio, exanimatio aliíque id genus turbidi animorum concitatíque motus rationi non obtemperantes, tanquam diræ animorum corporúmque peſtes, ſummoperè fugiendi. Ex aduerſo verò optanda ab omni animi perturbatione aliena tranquillitas & ſumma ſecuritas: perpetuóque hilaritate & in Deum fiducia ſpéque certa puſillanimes erigendi, ac, nequando ingentis mali cruciatúſve metu atque formidine perterriti animo liquantur, ſuſtentandi. De his hactenus: iam relinquitur vt, quæ tumoribus ipſis peſtilẽtibus curatio debeatur, expediamus.

Bubonis curatio. Hoc caſu ſi vel in adenibus bubo, aut alia corporis parte tumor alius venenati morbi

ceu character vel tantillum protuberet, atque id ipſo ſtatim mali exortu: ſignificationem affert robuſtæ firmioríſque naturæ venenatæ perniciei expulſionem molientis. Ac proinde quò par maiórve conatui reſpondeat efficiendi poteſtas, ſumma ope niti decet vt eorum illico iuuemus eruptionem, & eam ſecuti rationem quam ipſa natura mõſtrarit, per eandem partem ab obſeſſa ſede venenatam materiẽ reuellamus: qua eadem de re anteà nonnihil. Igitur aperiente ſe bubone minimè omnium conueniunt ἀποκρουστικὰ, hoc eſt, frigore ſuo aſtringentíve facultate repellentia medicamenta, quę tamen in partium aliarum inflammatione per initia Medicorum celeberrimi ipſáque adeò ratio ferè præſcribunt: ſed communia illa. Hîc peculiare illud eſt, verendum ne medicamentorum vi repercuſſus ac retrocedens tumor in alto deliteſcat, & virus peſtilẽs quod iam natura penè propulerat in corporis penitiora regredi cogatur, atque ita viſcus nobiliſsimum ac principes aliæ partes venenata pernicie obſeſſæ peſtiferè lædantur ac miſerè tandem ſuccumbant. His neceſſariis rationibus confectum arbitror, vt peſtilentem quemuis tumorem alium, ita bubonem ipſum nec vtiliter nec tutò repelli intrò poſſe: contráque cùm primùm eminere cœperit, blandè ac ſenſim attrahendum & foras euocandum: quod aſſequemur medica-

mentis

mentis quæ tum tenui ſuo calore, tum ſubſtantiæ totius proprietate veneni alliciendi exhauriendíque vim habeãt: qualia permulta ſunt ſeu ſponte nata, ſeu etiam ex putredine orta. Eam verò ad rem plurimum cõferet ex mediæ materiæ aut paulò calidioribus medicamentis fotus accommodatus, ex ſpongia præcipuè: ſed & ex cannabinis ſtupis conueniente decocto calente imbutis ac inter ligneos orbes leuiter expreſsis, dein protinus vt calẽt parti admotis, remiſſo verò aut planè poſito calore ſubinde permutatis. Horum penuria aut aliter pro Medici iudicio arbitrióque decocti ipſum magma calens adhuc adhibebitur & apprimetur. Ad eundem vſum pertinent Cataplaſmata viribus iiſdem prædita, quale eſt εὐπόριστον ex cæpis & theriaca. Medicamenta verò re ac verbo ἐμπλαστικὰ minùs conueniunt, quòd ſuo lẽtore ac veluti glutine cutis meatus obſtruant & obturent: qua de cauſa venenati halitus exitum remorantur. Sed ad rem. Recens iugulati veruecis pulmones aut alioqui calentes, catelli item præpingues, ex columborum genere pipiones, gallinacei atque id genus alia bipartitò ſecta calentiáque adhuc tumori quamprimùm applicata ſtrenuè ſuccurrunt: nam & venenum tranſumunt ac in ſeſe transferunt, & dolores mitigant aut diſcutiunt & ſedant omnino. Hæc cùm ita habeant, hoc remediorum genus ante omnia

bis térve aut ſæpius, ſi neceſsitas erit, aptè vtiliterque vſurpabitur. Quòd ſi validiùs attrahere conſilium fuerit, ab his ad cucurbitulas tranſeundum, quæ largioris flammæ vi attracta è longinquo venenata materie tumorem ipſum amplificēt. Harum ſiquidem manifeſta vis, in eam ſedem cui fuerint impactæ humores atque halitus è diſtantioribus penitioribúſque partibus fœlici ſucceſſu rapere & ad ſe transferre. Eæ ideò primùm quidem leues, hoc eſt, citra ſcarificationem affigendę, deinde etiam cum ſcarificatu qui natiuum calorem ſtrangulatum euentilet, ne quod intra tuberculum calet & efferueſcit in vicina quæque tandem ſerpat eáq; altiùs exedat aut cuniculatim arrodat, ſed ocyſsimè contrà celeriterque extundatur. Si qui verò, qui plurimi ſunt, flammam expaueſcant, ſamium ſeu fictilis ollula aut ligneum vaſculum diu aqua feruente calfactum allióque perunctum tumori cucurbitulæ vice apponendum, viciſsímque identidem admouendum & ſummouendum. Auulſa cucurbitula aut vaſe, locus accerſito ſpiritu & ſanguine tumens ac rubens, nouacula quidem ſi vulnuſcula ſuperficietenus adigere, ſcalpello verò ſi altiùs ſubire verámque cutem ferire conſilium eſt, nempe pro partis ipſius laborantis natura & ratione minutim diſcindi debebit. Rurſum protinus admouēda cucurbitula aut vas ipſum,

nec

nec priùs tollenda, quàm quicquid ſanguinis eo loco collectum fuerit hauſeris largiúſque profuderis: tùm ſiquidem cucurbitulæ flammæ largioris tractu, vas ab iis diuerſum ſolius caloris vi magna, quicquid in parte impactum altiùs etiam inhæſerit validiſsimè tum in cutem extimã euocabunt, tũ etiam abſorbebunt ac in ſeſe prolicient. Sũt qui hirudines affigãt, quæ, dum ſuo quæque morſu trifidum vulnus infligit, ſcarificationis vicem impleant: atque ij ferè dein cucurbitam ſemel atque iterum apprimunt, quæ totum à parte ſanguinem exhauriat. Tandem verò locum eum vnde manauit ſanguis butyro illinunt nonnulli: muria alij proluunt accuratè cauentes nequid concreti ſanguinis ibi relinquatur. Alij percurandi bubonis viam hanc ineunt: amplificato tumore confeſtim glandulas ipſas à cute diducunt & hamo prehenſas, ne vena arteriáve ſaucietur aut conuulneretur, ſcalpelli acie ad viuum reſecant & amputant: candentibus alij forcipibus non magno doloris cruciatu ac propè nullo, (ſunt enim illæ ipſe ſẽſus expertes) inurunt & extirpant: itáque tandem circuncisis glandulis, ſanguinem ſiſtunt. At equidem moleſtia minore tutiúſque ſanguinem impurum ab offenſa parte educi poſſe crediderim remediis iis quæ ipſi parti liberandæ inſideant, cucurbitulis, ſcarificationibus, hirudinibus, vti paulò antè monuimus,

quàm glandulas isto modo proscindi: & sanè ægrotantium vires plerunque infirmæ sunt adeò, vt violentiora hæc remedia sustinere vix queant, etiam si ipsi maximè cupiant. Quin ne cucurbitulas quidem vir quidam alioqui doctus extuberanti loco admouet, infrà tantummodo quatuor aut quinque circiter digitos tumori vicinis partibus admouet: quasi verò buboni circumpositæ partes quàm laxiores, quas glandulas vocant, faciliùs auxilia eiusmodi tolerent? Sed & fallitur in eo manifestè & meticulosiorem sese prodit quàm par fuerit: cùm glandulosa illa corpora sensus expertia sint adeò Galeno teste, vt acriora quæuis medicamenta vehementioráque remedia propè nullo doloris sensu nullóque incommodo perferre possint. Multò verò minùs ægriúsque idem ille adenibus quæ in emissariis vasis maioribus substernuntur scalpellum adhibet. Veretur enim, vt ipse ait, ne sic magis aucto dolore calidi tenuésque succi affatim à toto corpore in partem ægram confluant ibidémque impacti putredinem accelerent, atque adeò & excandescat venenum & iam in tumore collectus humor inflammetur: quasi verò in dubio sit, duobus malis propositis id semper quod grauius est fugiendũ esse magis? Satius igitur multò qui tumori subsũt impacti humores scarificatione profundi, quàm sinere vt vel de integro intro sese

Raim. lib. 3. de peste.

Lib. 2. ad Glauc. cap. 2. text. 4.

ſeſe recipiant, vel quæ ſunt malignitate prædit per ipſam ſedem affectam ſerpāt latiùs, agántve cuniculos non ſine manifeſta pernicie altiores. Equidem arbitror rectè iudicanti nemini non placere Plautinum illud: *E malis multis malum quod minimum eſt, id minimum malum.* Sed ne nimium in res non neceſſarias ſtudiū nos ab inſtituto longiùs abſtrahat, eò vnde digreſſa eſt oratio noſtra reuertatur. Sat, mea ſententia, non eſt vno aut altero ἐπισπάσεως genere excluſionem veneni tentaſſe: quin potiùs ipſum, quādiu intus deliteſcit, modis omnibus foras euocandum. Quamobrem præmiſsis etiam iis quæ antè memorauimus venenato humori reuocando aptiſsima, ad ſpongias ſtupáſve decocto quopiam attrahendi ſimul leniendíque vi prædito madētes redeundum: quæ bene calfactæ loco identidem apponantur, vt quod ex tempore non poſſunt idipſum longiore mora adhæſuque ſubinde repetitæ præſtent. Illud ipſum, ſed fortè fœliciùs, effectum dabunt galli à podice adhibiti: vt qui ani ſphinctere dum viuunt calentque adhuc tantum attrahant quantum euocando veneno ſatis ſit, idque & abſque dolore & humoribus nequaquam agitatis. His artibus poſtquàm vniuerſa materies à principibus partibus ſecreta atque in tumentia loca vniuerſim cumulata videbitur, tentandum tùm demùm

In Stich. act. 1. ſc. 1.

eſt eam diſcutere & abſorbere additis perpetuò emolliendi vi præditis aliis. Nã ſi aliter ſtatuas, in metu eſſe debebis ne quod craſsius eſt obdureſcat diſsipato eo quod tenuius exiſtit, tandémque τῶν διαφορητικῶν vim pertinaciùs reſpuat, néve præter modum reſiccata calfactáque plùs ſatis ipſa materie febrilis ardor ingraueſcat. Quòd ſi de diſcutiendi tuberculi ſpe decideris, nec materia intus collecta digerentibus cedat, & ita non cedat vt contrà creſcat maiorémque in tumorem attollatur, in abſceſſum abire & maturationis ſpẽ facere pro comperto habebis. Porrò vbi erit in ſpe πεπασμὸς, ſi vel aberit veneni ſuſpicio, vel illius certè prauitas erit antè adhibitis remiſſa coërcitaque præſidiis, ſi cõſtat virium robur, ſi non ingraueſcit ampliùs liueſcítve tuberculum, maximéque ſi criſis ad hæc interciderit: tùm demùm profectò πεπτικοῖς καὶ διαπυητικοῖς locus fuerit. Temporiùs verò maturiúſve nunquam: nam huiuſmodi medicamenta & quia glutinoſa ſunt cutis meatibus præcluſis ac impeditis quominùs venenatus vapor tranſpiret obſtarent, eúmque ſic in cor ipſum regererent: & quoniam putrefaciunt omnia, adhæſu ſuo vſtis magis & incenſis humoribus gangrænę ſyderationiſve periculum crearent. Ac mihi quidem illi rectè præcipere videntur, qui ſuppurantibus illis medicamentum è viperis aut Mithridatis

thridatis antidotum aliúdve generis eiusdem permisceri volunt, veneni ad sese trahendi vim nō quidem qualitate sua, sed occulta facultate sortitum. Malè nec absque subditarum partium ab erosione periculo, si qui integrā perfectámque puris maturationem expectandam præcipiunt. Rectè cōtrà, qui si non omnino, aliqua saltem ex parte confecto pure vomicam haud cunctanter scalpello aperiri oportere censent, idque Hipp. consilio καθ' ὑπόῤῥυσιν, nimirùm ad partem decliuem, quò seu pus seu sanies promtiùs liberiúsque è vulnere effluat. Alij siue quia scalpellus his in locis quibus grandiores insunt venæ periculi plenus esse videatur; siue quia caustica tumorem non modò disrumpant, sed etiam mali seminaria omnino tum absumant tum extinguant, medicamentis causticis lubentiùs vtuntur. Horum penuria nonnulli, in magna etiam copia alij apertionem ipsam moliuntur frequenti asiduóque contactu panni cui illigati sint cineres olei pauxillo eíque feruenti cum mica salis toties ac tandiu intincti & appresi, dum disrupta laceratáque cute pateat exitus ei humori quo distendente pars in tumorem attollebatur. Candente ferro cutem aduri aperiríque nec nouum nec insolens & vsu creberrimum est: verùm molliores naturæ quia vstionem

tolerare vix poſſunt, hæc curandi ratio duri-
rioribus corporibus erit magis opportuna,
maximè ſi & febris abeſt & virium eſt fir-
mitas. Eſt & quædam obſeruatio quam te-
nent qui καυτηρίῳ vomicam iamiam apertu-
ri ſunt. Nam paulò ſupra partem affectam
applicant quæ & inflammationem arceant
& in partem affectam humorum defluuiũ
inhibeant. In ſumma vicinas etiam partes
alias accuratè muniunt, iis circùm adhibitis
quæ ipſum etiam virus obtundant & quo-
minus altiùs penetret infrænent atque co-
hibeant. A cauterio mox ad ea tranſeunt
quæ tum dolorem leniant, tum materiam
exuſtam maturent ac ipſius cruſtæ ſeu ca-
ſum ſeu prolapſionem adiuuent. Cæterùm
illud in bubonis peſtilentis curatione per-
petuò accuratéque tenendum, quantumuis
non omnibus ſui partibus maturus con-
coctúſve ſit, qua certè parte maturuiſſe vi-
debitur apertionem quæ imminens om-
ne vitæ periculum anteuertat nunquam nõ
eſſe neceſſariam. Aperta patefactáque puri
venenatæq; materiæ via, ſedulò cauẽdũ ne
vlceris labra priùs coaleſcant obducãtúrve
cicatrice quàm per factum emiſſarium vi-
rulenta materia penitus totáque emanaue-
rit, ſitque ab ea quæ priùs inerat labe pur-
gata vomica. Quam quidem ad rem non
parum iuuerint detergentia quę Græca vo-
ce ῥυπτικὰ dicuntur, ac ea maximè, ſi vlcus
humi-

humidius eſt, quibus exiccandi facultas maior. Immaturo verò crudioríque adhuc tumori peropportuna cõmodáque erunt primùm quidẽ πεπτικὰ καὶ ἐκπυητικά, ſed perpetuò cum mollientibus coniuncta: dein omniúmque poſtrema quæ tumoris reliquias diſcutiant. His verò vt & antè memoratis omnibus hoc caſu nunquam non admiſcenda quæ alliciendi extrahendíque veneni facultate prædita ſint. Ex hoc genere πρὸς ἰοβόλα propè omnia, nedum ad eliciẽdum exhauriendúmque virus peſtilens ab eruditis vis non parua eſt attributa ἰοῦ ἑλκτικῷ huic: quod tùm etiam ſubinde vſurpare non inutile fuerit. Deglabratum galli podicem roſtro quò ſpiritum cogatur podice ducere identidem compreſſo admouent & apprimunt, atque hoc extincto ſubinde alios atque alios apponendi ſimiliter & apprimendi finem non faciunt, quoad maligna virulentáque materies omnis exhauſta fuerit. Hæc poſtquàm ritè atq; ex arte peregeris, tùm ſeu ſinus erit ſeu duntaxat vlcus adhibitis partim detergentibus pariter & exiccãtibus vt erit horum neceſsitas, partim agglutinantibus atque σαρκωτικοῖς implendum: tandémque ἐπουλωτικοῖς cuti ſimillima cicatrix inducenda. Hac methodo hócque ordine peſtilentis bubonis perſanandi ſpes certa, dummodò repentina necopinata mors (quod in hoc mali gene-

re ferè ſemper vixq; vnquàm aliter accidit) curationem non anteuertat, neque antidotorum vſus vnquam omittatur: nec denique, dum haberi poſſunt, ea negligãtur quæ vel admota vel illita prodeſſe in alexipharmacis obiter admonuimus: qualia ferè ſunt ſapphirus, topazius, bubonium, lyſimachia, ſcabioſa & quæ ſunt eiuſdem generis.

Carbunculi curatio.

Eadem propemodùm peſtilentis carbunculi curãdi ratio eſt, niſi quatenus hîc quàm in bubone & inflammatio & ex dolore cruciatus maior, quíque carbunculum procreauit humor craſſus malignúſque magis eſt: quà ratione fit, vt curationem non niſi ægrè admodùm difficultérque recipiat, ſítque vt plurimùm derepentè mortifer adeò vt ſanationi tempus non ſuppetat. Qui verò carbunculus inducias dabit, huius primo ſtatim exortu atque vbi indicio aliquo quantumuis leui ſeſe profert atque patefacit, perplacet imprimis vt quod virus ſuopte impetu in ſuperficiem diuertit foras magis magíſq; illiciatur, idq; non vi medicamentorũ modò, ſed maiore alia quacũq; vi ex alto corpore in ſumma transferatur: quod factu multò faciliꝰ tutiúſq; fuerit, ſi & pars corporis quà ſeſe obtruſit minoris notæ & tardior fluxio videbitur. Ergo ex vſu erunt rémque omnem perficient fotus & cucurbitulæ aut certè ex volatilium imprimis, dein & è quadrupedũ genere animantia

tia quædam diſſecta ac ſuopte etiamnum calore tepentia venenato humori circunuoluta. Quòd ſi fluxionis nondum ſtatæ impetus grauitáſque maior expoſcere videbitur, inflammatæ ſedi quæ tuberculi in ambitu eſt mox ab initio Cataplaſma imponendum, quod modicè cohibendo diſcutiat etiam atque diſsipet, duplicémque cũ vſum habeat vt & qui affluxit humor fluxioníſque quod factum iam impactúmque eſt partim digeratur partim abſorbeatur, & fluxionis quod adhuc fit quíque repentè ac impetu quodam affluit humor leuiter ſiſtatur. In vehementi ſiquidem inflãmatione eáque maximè quæ maligna peſtilénſq; eſt non eſt per initia (quod alioqui ferè fit) repellentibus ſolis auertentibúſque nitẽdum: ne humorum malignitatis venenatæ ratione nón habita peſtilens pernicies ad viſcera principéſque partes alias intrò regeratur: qua ex re euenire ſolet, vt citiſsimè vita cum morte commutetur. Tutiùs profectò rem gerũt qui fluxionis impetum duntaxat reprimunt & inflammationem refrigerantibus demulcent, eóque ſtudio vtrunque faciunt, vt ne ex fluxione præcipiti afſatímque irruẽte grauis & acerbus nimiùm in laborante parte dolor excitetur. Ergo quibus eſt opus omnia præſtabit Cataplaſma ex arnogloſſo & bis cocta lente, admiſta panis αὐτοπύρου ἤτοι συγκομίστου vel etiam

Gal. 14. Meth. ca. 10.

ſecundarij medulla. Aut quod conſtat ex malis Punicis in aceto poſcáve incoctis & ad læuorem tritis calens ex linteo parti inducetur. Huiuſmodi medicamenta inſupérque & alia quotquot carbunculis adhibere conſilium eſt ſubinde commutari nouaríque oportet, tum quia ob inflammationis φλόγωσιν facilè breuíque ſpatio exareſcunt, tum quia verendum etiam eſt ne, cùm adhæſu moráque longiore incaluerint, inde & ipſa ſedes affecta impendiò recaleſcat. Tuberculo verò atque vlceri ipſi haudquaquam adhibendum quod repellat medicamentum, ſed vel blandum aliquod ſi eius erit neceſsitas, vel erodens atque exedens quodpiam quod & diſrumpat & ſimul attrahendo deſiccet. Sunt hac noſtra tempeſtate Medicis vſitatiſsima, vitellus oui cum infriato ſale tritus, cantharidum puluis melle & oui luteo exceptus, ægyptiacum cui arſenici nonnihil immiſtum ſit. Quæ itidem maioribus olim crebro frequentíque in vſu fuere recentiorum Medicina vbique ferè vſurpat. Paſtilli ij ſunt à Galeno tantoperè totiéſque celebrati, Andronis, Muſæ, Paſionis & Polyidæ: qui paſſo aut ſapa pro veterum more ad mellis craſsitudinem ſoluti præterquàm quòd vrunt & exiccant potentiſsimè, valentiùs etiam diſcutiunt & abſorbent. Quanquam autem acria ſiccantiáque vehementer hæc ſunt, tamen ma-

lo tam

lo tam graui non rarò inferiora esse ab v-
ſuperitis eſt obſeruatum. Igitur remediis
hiſce malo cedentibus, ex duobus eligendũ
alterutrum. Nam ſi ægrotantis deſperata
ſalus eſt (quod in hoc caſu non eſt inſolẽs)
nihil meo iudicio tentandum ampliùs, ne
niſi ſeruaris occidiſſe videare. Satius ægro-
tum ſuo morbo perire, quàm accerſito no-
uo cruciatu mortem quæ in propinquo iam
eſt accelerare. Perſeuerante autem magiſ-
que etiamnum ſæuiente ingraueſcentéque
malo ad valentiora remedia tranſeundum,
quæ corruptam aut ſyderatam etiam carnẽ
protinus ab integra ſanáque parte reſol-
uant: idque audentiùs, ſi qui laborat forti
infractóque animo ſit conſtantibúſque ac
firmis viribus. Inter hæc efficaciſsimum
eſt candens ferrum: enimuerò promtiſsimè
præſentiſsimóque remedio nulla in corpus
inducta malefica qualitate virus quodcũq;
intus deliteſcit vt in membra ſeſe inſinuet
non modò non patitur, ſed id ipſum con-
trà domat penitúſque extinguit & abſumit.
Neque tamen id graue eſt: nam non ſen-
tit æger, quoniam ea caro mortua aut certè
ſentiendi vi defecta eſt. Huic viribus pro-
xima cauſtica, quæ etiam veram cutem ſol-
uunt atque diſrumpunt, ſæpiſsiméque in
ſubiectam quoque carnem cauterij inſtar
penetrant. Hoc tamẽ loco vitanda ſeptica
omnia, vt quæ, dũ carnẽ in putredinẽ cada-

nerosã deducũt, partẽ affectã malè perdãt. Stata iam vtcunq; fluxione ac sese remittẽte subsidentéque potiùs tumore quàm augescente, earum quoque partium quæ paulò longiùs à carbunculo sunt disitæ est habenda ratio. Tùm ideò paulò supra sedem inflammatam locum per quem fluxioni decursus erat cingere peropportunum fuerit, ídque astringẽte ac repellente seu muniente medicamento quopiam, *defensiuum* vulgus nominat. Tale fuerit vnguentum album Rhazis caphuratum aut populneum, aut etiam paratu facile illud ex bolo armena aceto & rosaceo. Hoc genus enim remedia omnia vias dum coangustant, ne virus pestilens latiùs serpat & ad viscera nobilia recurrat, néve irritata fortè dolore fluxio in partem labefactatã impetu maiore decumbat, impediunt. Sic & quæcunque partes corporis aliæ affectionis κατὰ συμπάθειαν suspectæ habẽtur excepto lanis succidis oxyrhodino irrigandæ. Altioribus verò crebrísque incisuris punctim circuncidenda tum inflammationis sedes, tum item ipsum crustosum vlcus: huc spectante remedio, vt simul cum crassiore atróque sanguine noxia omnis ac virulenta materies per vulnuscula aperta via diffluat. Mox deinde scarificatus ipsi aqua marina salsáve seu muria calente subinde sæpius perfundendi: hoc nempe consilio, vt ne parti inhærescẽs

Paul. ca. 25. lib. 4.

sanguis

ſanguis concreſcat in grumos, vel ſi concretus iam eſt vti diffundatur vacuetúrque. Quòd ſi tùm iuſto largior ſanguinis profuſio accidat, conueniet fotus ex aceto calente, quod ſuapte vi & grumos incidat & fluentem ſanguinẽ cohibeat ſiſtátque omnino. Hæc poſteaquàm aſſecutus fueris, inflammationi adhibenda haud ampliùs quæ repellant refrigeréntve: ſed ad ea tranſiri melius fuerit quæ dolorem demulceant inflammationémque mitificent, ac per patefactam viam quicquid eſt reliqui abſorbeant ſimul & foras euocent. Hoc ipſum eò commodiùs opportuniúſque fiet, quòd vtraque ſimul facultas, euocandi inquàm ac digerendi, pleríſque rebus eſt à natura inſita. Ego Medicorum præcepta dicere verè nõ poſſum, ſi qui inſcij imperitíque pro ſalutaribus mortifera aut alioqui noxia cõſcribunt: quo ex numero illi mihi omnes eſſe vidẽtur, quorũ alij vehemẽtiora ἐπισπαστικὰ, alij μαλακτικὰ, πεπτικὰ aliáque pus mouentia hoc loco præſcribũt. Illa etenim dolores & febres cùm irritant & exacuunt, vires impendiò labefactant: his verò carbunculus grauiùs exaſperatur, partíſque ipſius putredo magis magíſque ingraueſcit. Porrò dũ quæ antè memorauimus ex arte adminiſtrãtur omnia, vtiliter ac rectè pleriq; deglabratum à podice gallum ſeu puſtulæ veſtigio ſeu vlceri ipſi admouent, roſtro auis

ſubinde compreſſo quò neceſsitate adacta fœliciùs potentiúſque virus exugat & attrahat, dum ipſa ſibi mortem concitauerit: in demortui galli locum iugiter alium atque alium ſufficiunt, quoad plurium calore ac ſpiritu venenum omne quodcunq; in parte inerat exuctum extractúmve fuerit. Carbunculus ſi altiùs inſedit, Celſo nil melius eſſe videtur, quàm protinus adurere, finémque facit adurendi dum parte corrupta à viua reſoluta ex omni parte ſenſus doloris eſt: tùm deinde vulnus ſicut cætera aduſta curat. At ſi fuerit in ſumma cute vitium, autumat idem ſuccurrere poſſe quædam vel exedentia tantùm vel etiam adurentia medicamenta. Tùm verò etiam hæc eadem malo ſi vincantur, ad vſtionem vtique properare nil dubitat. Atq; hæc ipſa eſt methodus à nobis antè tradita. Porrò vt ferrũ candens ſic & memorata modò cauſtica affectæ ſedi vſtionis notam eſcharam imprimunt, quam aliàs etiam ipſa per ſe natura moliri conſueuit. Hæc tùm maturitate iam cedens, quò quicquid corruptum eſt ſecum faciliùs trahat, arte remouenda videtur: quod opportunè fiet ſublata priùs veneni omni ſuſpicione, nempe ſedata inflammatione ſtatáque maligna putredine. Ad id medicamenta conueniunt emollientia leui digerendi facultate prædita, vti butyrum axungiáve porci rhodoſtagmate lota, & ex

Lib. 5. cap. 28.

oui

oui luteo butyrum ipſum recens. Cruſtas quæ ſenſim elidant alia plurima apud Græcos, nõ pauca apud Arabas reperies. Quòd ſi valentiore auxilio opus erit, adhibendum emplaſtrum eiuſmodi aliquod, quod præterquàm quòd emolliat dolorem prætereà mitiget & attractam materiem inſenſibili modo quodam abſorbeat. Reſoluta tandem & à carne viua vndique diducta cruſta detergendum vlcus: quod hac tempeſtate faciunt Chirurgi ferè omnes, pars rhodomelite cum ſucco apij, ægyptiaco aut apoſtolico vnguento alij: alij denique vnguento è peto, aut etiam emplaſtro diuino remollito. Nonnulli Veteres imitati ad detergendam expurgandámque ſaniem mulſa quæ bibi iucundè poſsit, mulſo aut lixiuio alij vlcera eluunt. Purum iam ſiccatúmque vlcus caui vlceris cõmuni ratione implentibus atque σαρκωτικοῖς curandum, tandémque ἐπουλωτικοῖς ad cicatricem integrámq; ſanitatem perducendum eſt. Carbunculo peculiariter benefacere creduntur ex ſimplicibus medicamentis, bipinnella, Græcorum eupatorium, tormentilla, hippuris, ſymphytum vtrunque maius ac minus, verbaſcum cum ſua radice contuſum, penè arboreſcens herba ea quæ à D. Nicotio Regio apud Luſitanos Legato qui primus in Galliam eius notitiam & vſum inuexit, *Nicotiana* nomen obtinuit. Cynogloſſon etiã

vulgare

vulgare tritum & impositum mirè anthraces percurare existimant. Scabiosæ autoritas maior, vt quæ inter silices duos trita & apposita ceu diuino quodam miraculo carbunculos ita persanare dicatur, vt deinceps satisfaciat eá curandi ratio quæ est vlcerum omnium communis. Sapphirum carbonibus circunducunt, dein & ex aduerso cōtinent nonnulli, fœlici, vt aiunt, successu vsúque maximo. Ex compositis adhibent Theriacam, Mithridatium aliáque id genus. Sed incidunt sæpe nonnulla quibus quæ carbunculo debetur curatio variè commutatur. Ea sunt quæ perpetuò in consilium adhibenda Medicus nemo non intelligit, symptomata inquàm varia & partis affectæ natura: circa quam rursum expendenda veniunt substantia ipsa, situs, figura, sensus, robur & vsus. Aliter enim in palpebris, aliter in pudendis carbunculi curari postulant: rursúmque carnosæ aut neruosæ partis alia, alia partis quæ cordi vicina est aut ab eodem longè dissita curādi ratio.

Ecthymatū pestilentium curatio.

Sequitur vt de vno reliquo pestilentium affectuum tumore dicendum sit, qui in iis quæ sæuiente lue profunduntur ecthymatis maximè cernitur. Horum autem atque papularum quas *variolas* vulgò nuncupāt similis ac propemodùm eadem est curatio, nisi quòd in illis curādis perpetuò attentos nos esse decet exterminandæ venenatæ materiæ

teriæ iis remediis quæ ad virus pestilens foras euocandũ aut alioqui eliminandũ plurimum faciant. Igitur quò ecthymatis liberior in promtúque sit è cute vndiquaque eruptio, æger à frigoris iniuria summa cura defendendus: quod hyeme vix fiet, nisi loco etiam calente aut certè tepido reponendum eum cures, quò ventus nusquam aspiret, nusquam frigidior illabatur aura. Nam (quod alioqui ferè fit) venenatus humor vapórve frigoris occursu intrò repulsus ad cor visceráq; alia refugeret. Dum hæc fiũt, extrinsecus interim iuuanda natura iis quæ pusularum materiem ad summam cutem euocare queant: nimirùm calentis aquæ assiduo fotu, ἀραιωτικοῖς ad ignem vnctionibus & coccineorum pannorum inuolucris ac tegumentis. Præter ipsas verò pestis antidotos intrò sumenda ea sunt, quæ pustularum earundem exitum commodiorem procurent. In eum vsum lentium decoctũ hauriendum propinant, caricarum item, helenij & pulmonariæ quam, quia ἐξανθήματα referentibus maculis respersa sit, vulgò vocant *l'herbe du tac*. Exortæ seu natura seu artis ope pustulæ vtplurimùm ægrotantes diu noctúque doloribus excruciant: hæ proptereà nisi suapte sponte rumpantur, ad commodum saniei effluuium acu perforãdæ. Atque hac ratione prouidendum, ne diutius suppressum excrementum acrius &

Hipp. lib. 6. Epid. part. 22. Aph. 18.

mordax ſuam quodque ſedem cuniculatim arrodat. Iam patefactis viis contenta ſanies omnis abſque dolore quoad eius fieri poteſt ſenſimque exprimenda : ac tandem ſeu pure deterſo ſeu reſiccata ſanie & vlcuſcula ipſa exiccanda ſunt. Quòd ſi quæ præ cæteris maligniores carbunculi naturam imitatæ videbuntur, carbunculorum in morem rumpi ſiccaríque deſiderant, &, quod poſtremum omnium fuerit, earum veſtigia accuratè penitus totáque remouenda delendáque ſunt.

Epilogus. Hæc habui quæ de peſtilentium morborum curatione dicerem. Lõgiorem, fateor, orationem res ipſa poſtulat, mea certè tenuitas breuiorem. Sed hæc tamen eò pauciora ſunt, quòd à multis multa locis multis eadem de re accuratè conſcripta eſſe nõ neſciam. Hæc eruditorum me ſcripta monuerunt, vt topica remedia innumera quæ hoc ipſo loco aſcribere potueram de induſtria miſſa fecerim: tum ne in re minùs neceſſaria longior eſſem, tum quòd ſat amplam eiuſmodi medicamentorum ſupellectilem ſit in promtu cuiuis è materia chirurgica repetere. Quòd ſi quis comminuta ſubtiliùs ac veluti præmanſa omnia deſideret, in Præceptoris noſtri D. Saportæ viri clariſsimi de Chirurgia laboribus elaborata excultáque inueniet. Iudex temerarius cuipiam videri poſſem, qui de nondum editis

tis (de quibus existimare non possumus) pronunciem, ni proximè perlecta ea nobis essent, haud secus ac si forent iam in lucem edita. Si qua verò (quod vsuuenire quotidie animaduertimus) vrgeant symptomata eiusmodi quæ curantis Medici studium ad se meritò conuertant, hîc non secus atque in febribus morbisq; aliis, quibus communia sunt, iis maturè occurrendum censemus. De his igitur hactenus. Si quando verò in Medicina facienda nobis etiã Deus exquisitius rariúsve aliquid experiri dederit, cuius copiam faciendam dignè existimemus, id rei Medicæ studiosis communicare nõ grauabimur, freti eius fauore cuius auspiciis hæc cœpta, continuata, tandémque ad vmbilicum perducta sunt. Illud verò vnum animum exuscitabit, & spiritus ad rem gerendam maiores faciet, si hæc ipsa Lectoribus grata acceptáque fuisse intellexerimus.

*

SELECTORVM TAM EXTERNORVM QVAM INternorum remediorum particularis descriptio,

Quæ quidem ad peſtem tum arcendam, tum etiam curandam plurimum valere & ratione compertum, & varijs experimentis comprobatum eſt. CAP. IX.

MIHI nũquam placuit eorum ratio, qui particularia ad morbos qualeſcunq; remedia edunt in lucem, tum quia Empiricis (quales nimis multos fert hæc ætas) quidlibet audendi occaſionem præbent, tum quia ſtudioſos pleroſque in componendis ſuo marte auxiliis quaſi negligentiores reddunt. Attamen vt amicorum nonnullis ſatisfacerem, qui perlecto meo de peſte commentario ante ſedecim annos edito, & coràm & per literas ſæpius enixè me rogarunt, vt ſi quid exinde lectiorum remediorum in præcauendis curandisq; peſtilentibus morbis obſeruaſſem, id ſibi communicare ac etiamnum euulgare ne grauarer, viſum eſt exquiſitiora certioraq; tam externa, quàm interna

terna remedia in vulgus edere, quibus plerunque contra pestem vti consueui, quæq; non semel experimento comprobaui. Quòd si quibus minùs placebunt, ea etiam ceu paradigmatis tantùm loco hîc à me proponi velim intelligant.

Remedia ad arcendam pestem.

Catapotia. ℞. aloës el. lotæ aqua rosſ. vel end. ℥.j myrrhæ el. ℥. ß. ammon. rad. gent. dictamni añ. ʒ. ij. mastich. elect. bol. arm. præp. añ. ʒ. j. croci ʒ. ß. Cum syr. de limon. aut Fernelij de melissophyllo, aut etiam vino albo fiat massa pil. de quarũ ʒ. j. formentur pil. vij. quas auro obuolutas deglutiat hora vna aut altera ante prandium, semel aut bis in hebdomade. Sunt hæ certè quidem arcendæ putredini accommodatę, attamen biliosis ac prægnantibus, itemq; æstuoso tempore suspectæ, imò etiam noxiæ. Quibusdam vt gratior, ita & accommodatior fuerit syrupus sequens:

Syrupus. ℞. rad. cich. oxal. bugl. añ. ℥. j. vuarum passſ. mund. & polyp. querni añ. ʒ. vj. rad. tormen. dictamni, helenij, añ. ℥. ß. s. card benedicti, citrij añ. ʒ. ij. rasſ. cornu cerui, s. oxal. anisſ. fœnic. & maluæ añ. ʒ. j. ß. cich. endiu. succisæ, calend. scabiosæ, scordij, melissæ, vtriusque bugl. fumar. agrim. beton. oxal. pimpin. añ. M. j. dictamni Cretici & omnium capillar. añ. M. ß. florum ʒ cord. verbasci & vettonicę altilis seu tunicis añ. P. j. fiat decoct. ad ℥. xv. Colaturæ infunde per

noctem foliorum sennæ or.mund.℥.iiij.agarici opt.℥.ij.rhab.electi ℥ j.zingib.zedoar.cinnam. el.añ.ʒ.ij. Post leuem ebullitionem fiat expressio, cui dissolue sacchar.lib.j. Percoquantur in syrupum, cuius ℥.ij.plus minúsve semel in hebdomade per se ex cochleari exhibeantur, aut ex quapiam aqua cardiaca propinentur. Iunioribus tum ad arcẽdam putredinẽ, tum etiam ad inhibendã generationem lumbricorum (quorũ quidem frequens est in pestilenti constitutione prouentus) maximè conuenit Oxymel nostrum, quod in meorum gratiam Gul. Augerius diligentiss. Pharmacopœus quotannis bis térve parare solitus est.

Oxymel. ℞.rad.gram. & filicis añ. ℥ iij. sebesten num. xx. absinth. Rom. & Pont. scordij añ. M. ij. lupinorum P.iiij. s. citr. & portul. añ.℥.ß. fiat decoct.ad lib.xij. Col.adde mellis opt.lib.vj. aceti passulati lib.iij. fiat ex arte oxymel.

Opiata. ℞. conf. rad. bugl. conf. oxal. & cort. citr. saccharo conditi añ. ℥.j. conf. florum borrag. verbasci, tunicis, rof. viol. calend. melissæ, añ. ʒ.vj. conf. enulæ camp. & angelicæ sacch. conditæ, añ.℥.ß. theriac. & mithrid. añ. ʒ. iij. boli arm. lotæ aqua bugl. aut rof. terræ sigill.añ. ʒ.ij. raf. eboris, cornu cerui, coralli præp. succini albi, gran. iuniperi, añ.ʒ.j.ß.rad. torment. tunicis, gentianæ, dictamni albi, antithoræ, zedoar. succisæ, pimpin. añ. ʒ.j. f. citr. ocymi, angel. card.bened.& oxal.añ.℈.ij.cinnam. el. margar. præpar. & santali citr. añ. ʒ.ß. troch. de caph. ℈.j.

℈.j. Cum ſuccis ſcord. meliſſæ, oxal. ſcabioſæ ac limonum deſæcatis & cum ſacch. in ſyrupum percoctis fiat opiata mollis. Doſis caſtaneæ aut nucis Ponticæ moles ieiuno ventriculo.

℞. caric.ping. & nucum domeſticarum mũd. añ.lib.ß. baccarum iuniperi in aceto maceratarum ℥ j. foliorum rutæ & ſcabioſæ ſiccorum an. ℥.ß. rad. angel.enulæ camp. tormentillæ & dictamni an. ʒ.ij. ſ. citri vel aurant. & ſalis mar. an. ʒ.j.ß. Contuſis omnibus ſeorſim ac deinde ſimul mixtis addito ſyrupo limonum vel oxalidis, aut oxymelite fiat opiata mollis. *Alia vilior.*

Prægnantibus ac pueris ſequens opiata ſatiſfaciet: *Alia.*

℞. conſ. rad. bugl. ℥.j. conſ. rad. & flor. verbaſci, conſ. tormentillæ an. ʒ.vj conſ. roſ.viol. & florum vettonicæ coron.an.℥.ß. boli arm. & terræ lemniæ an. ʒ. ij. pul. el. diamarg. fri. & elect. è gemmis an.ʒ.j. cornu cerui, eboris & coralli præp. raſuræ Monocerotis, an. ʒ.ß. Cum ſyr. de ſucco oxal. fiat opiata.

Quibus gratior erit electarij ſolidi vſus, tale parari poterit:

℞. pul. elect. diamarg. fri. & de gemmis an. ʒ.j. rad. dictam. tunicis. torment. angel. ſantali citr. ſuccini an.℈.ij. terræ ſigill. boli arm.præp. terræ bezoard. raſ.eboris, cornu cerui iunioris & monocerotis, oſſis de corde cerui an.ʒ.ß. coralli & margar. præp. cinnam. ſ. citr. & ocymi, an. ℈.j. ambari ℈.ß. Cum ſacch. ſoluto aqua *Teſſellæ.*

ſcabioſæ,cardui bened.roſ.aut meliſſæ fi.elect. per teſſellas pondo ℥.ij. Doſis teſſella vna.

Aliæ. Simplicius multò electarium cõcinnari poterit ex rad.angelicæ extracti ℥.j. & ſaccha. opt. cum roſ. aut angelicæ aqua ad electarij conſiſtentiã percocti lib. ß. quale hîc in Georgij Benedicti Geneuenſis Pharmacopœi inſtructiſſima officina ferè paratum habetur.

Trochiſci. Trochiſci ore continendi qualibet hora:

℞. boli arm.præp.℥.j.ß.rad.torment.℥.j.ſ.acetoſæ,cinnam. an. ℥.ß. rad. angel. nucis moſch. margar.præp. cornu cerui & eboris præp. an. ℥.ij. p. diamarg. fri. & elect. è gemmis, caryophyll. an. ℥.j.fi. puluis : cuius ℥.j. adde confect. alkermes ℥. ß. moſchi gr. vj. ſacch. albi lib.j.ß. cum muccagine gũmi tragacãthę extracta aqua roſ. fi. trochiſci ſiccandi in vmbra.

Pomum odoratum. ℞.ladani ℥.j.ß.benzoini,myrrhæ elect.ſtyracis calam. an. ℥.ß. rad. ireos flor. calami arom. ſantali citr. & roſ.rub. fol.mentæ,maior.meliſſæ an. ℥.j. rad. angel.cyperi, zedoar. cort. citr. ſicci, ligni aloës, macis & caryophyll. an. ℥. ß. cinnam.& ſpicæ nardi,caphuræ an. ℈.j.moſchi, ambari & ziberti an.℈.ß. Cum mucca.gummi tragac. infuſi in aqua roſ.aut aurãtiorum,vel cũ oleo caryophyll. ſubigantur, & fi. orbiculi odorati, qui hyberno potiſſimùm tempore tutò circũferri poſſunt. Æſtate tutius fuerit pomum ſequens:

Aliud. ℞. roſarum rub. & florum nymph. viol. an. ℈.iiij.ſantali citr.& cort.citr.ladani, ligni aloës,

cor

coriandri præparati, bacc.myrti,maſtich.ſucci-
ni an. ʒ.j. caph.℈.j.ambari grana iiij. Cum muc-
cag. gummi tragac. extracta cum aqua roſ. vel
myrtina & aceto, fi. globulus vnus, aut plures.

℞. aſæ dulcis ſeu benzoini & ladani an. ℥. ß. thuris, vernicis, granorum iuniperi, ſtyr. calam.an. ʒ.ij. p. ireos, ligni aloës, nucis moſch. caryophyll. maſtich. rad. caryophyll. & angel. an. ʒ. j. roſ. rub. ſantal. omnium & cort. citr. ſicci, cinnam.an. ʒ.ß. caphur. & ſpicæ nard.an. ℈.j. ambræ, moſchi an. gr. vj. Cum muccag. gummi tragacanthæ extracta aqua roſ.& ſtyrace liquida pauca, aut etiam cum terebinth. fi. trochiſci pro ſuffitu. Vel:

Throchiſci pro ſuffitu.

℞.ladani ℥.ß. ſtyracis calam. benzoini, myrrhæ, thuris maſc. an. ʒ.ij. florum ſtœch. & roſ. rub.an.ʒ. j. macis, caryophyll. ſantali citr.ligni aloës, cort.citr.ſicci,granorum iuniperi an.ʒ.ß. ambræ,moſchi,an. ℈.j. carbonum tilię aut ſalicis ℥.iij. Contuſa omnia additis gummi tragac. & aqua roſ. probè miſceantur, & fiat maſſa, ex qua cypriæ conformentur auiculæ in eundem vſum.

Cypriæ auiculæ.

Suffimentum ad arcendum peſtis contagium paratu quidem facilius, at paulo ingratius hic in vicinia parabat Empiricus quidam è tormentarii pulu.℥.ij.thuris,ſulph.granorum iuniperi an. ℥.j.caph. ℥.ß. Excipiebat verò aqua vitæ, &, niſi fallor, reſina larigna, ac trochiſcos craſſiuſculos conformabat.

Trochiſci ad ſuffitum alij.

℞. fol.mentæ,meliſſæ, ocymi,caryophyl. ru-

Noduli.

tæ, orig. puleg. maior. thymi, lauend. añ. M. ß. roſ. rub. florum tunicis & aurantiorum añ. P. j. rad. angel. & zedoar. nuc. moſch. caryophyll. cinnam. añ. ʒ. j. croci ʒ. ß. troch. de caphura ℈. j. Ex his tritis fi. noduli, qui macerati in aceto & aqua roſ. addito pauco vino maluatico naribus identidem admoueantur.

Spongiola. Quòd ſi antè memorata ſimplicia in modò recenſitis liquoribus diu multumq; macerata fuerint, inſuccata eiuſmodi infuſione ſpongiola pila lignea eburneáve crebris foraminibus peruia includi & vice noduli geſtari poterit.

Sacculus cordialis. ℞. flor. exiccatorum vtriuſque bugl. aurant. roſ. rub. nymph. viol. añ. ʒ. ij. flor. meliſſæ, roriſm. añ. ʒ. j. ß. cinnam. ſantali rub. & citr. coral. rub. ligni aloës, cort. citr. & ſeminis eiuſdem, ſem. ocymi, ſuccini añ. ʒ. j. fol. dictamni cret. baccarum iuniperi añ. ʒ. ß. rad. angel. oſſis è corde cerui & caryoph. añ. ℈. j. croci ℈. ß. ambari gr. vj. fi. puluis craſſiuſculus, qui goſſypio carpto excipiatur, & cum ſindone rubra coaptetur in ſacculum geſtandum ſupra cordis regionem. Is æſtate quidem aceto & aqua roſ. hyeme verò vino maluatico & roſ. aqua irrorari poterit.

Hæc ferè ſunt remedia, quibus munire ſeſe poterit quiſquis in aëre peſtilenti verſari cogetur: quæ tamen non temerè, ſed maturo ac prudenti adhibito iudicio à rationali Medico vſurpari velim, vt ne cuiquam tẽperamenti, vel ætatis, vel circunſtantis aëris ratione noceant.

Remed

Remedia ad curandam pestem.

Inter initia si qua mittendi sanguinis necessitas vrgeat, hunc ego malim ex hæmorrhoidibus venis, idq; hirudinum ope, quàm aliunde detrahi: aut certè cucurbitulas cum scarificatione partibus infernis adhiberi. Sed ante omnia cùm primùm peste correptum quempiam suspicio est, velim pestilens virus hidroticis alexeteria vi præditis, quoad eius fieri possit, excludere: qualia sunt quæ proximè sequuntur. Attamen si fortè ventriculus cibo grauatus foret, aut prauo quopiã humore perfusus, à quo eiusmodi antidotorum vis obtundi posset, priùs emetica potione vomitum prouocare non inutile videretur.

℞. aquarum card. bened. scabiosæ, succisæ & oxalidis sylu. aceto præmaceratæ añ. ℥. j. opiatæ antè præscriptæ ʒ. j. theriaces electę & mithrid. añ. ʒ. ß. p. leucoij, aut rad. petasitis ℈. j. adde syrupi de succo citrij acido ℥. j. misce, fiat potio, quam calidam bibat æger, & quamprimùm tectus plus solito ad sudores sese componat, neque tamen somnum capiat. Hanc si reuomuerit, posteaquam os vino colluerit, iteratam illicò haurire ne dubitet. Sed & eiuscemodi potionem aliam, quamuis prior illa minimè vomitione reiecta fuerit, eadem ipsa die post horas aliquot resumere non abs re fuerit. Interdum & pulueres alios, sales, aut aquas theriacales ei vsui dicatis potionibus admiscemus: quales etiam sæuiente pestilentia in officinis

Potio sudatoria.

præparari rectè poterunt.

Puluis. ℞. radicum tormentillæ, tunicis, angelicæ, cardui Mariæ, gentianæ, dictamni albi, petasitis & pimpinellæ añ. ℥. ß. boli arm. orient. lotæ aqua scabiosæ, terræ sigillatæ añ. ʒ. iij. foliorum dictamni Cretici, scordij & scabiosæ siccorum an. ʒ. ij. santali citr. ras. cornu cerui & eboris, cort. & s. citr. s. card. bened. an. ʒ. j. ß. baccarum iuniperi, coralli rub. ossis è corde cerui, cinnam. electi, s. ocymi & oxal. an. ʒ. j. margar. præpar. succini albi, ramentorum cornu monocerotis, rad. angel. & zedoar. an. ʒ. ß. fol. auri incisorum Num. iiij. fi. puluis tenuiss. cuius ʒ. j. plus minúsve conseruæ oxal. aut syrupi è succo citrij acido ℥. j. excipiatur, atque ita deglutiatur, deindéque aquæ vlmariæ aut alius cuiuspiam ex antè commemoratis vnciæ duæ trésve superbibantur. vel, si mauis, pulueris ʒ. j. in eisdem aquis dissoluta propinetur, addito quoque syrupo.

Sales. Eiusmodi pulueris loco sales sudatorios commendant Chymici è scabiosa, melissa, veronica, absinthio, ruta, hyperico, artemisia, radice angelicæ, iunipero, cortice mediano fraxini, ligno guaiacino, aliisq; id genus aliis: quos ego, si modò ritè & ex arte præparentur, minimè improbauerim.

Aqua theriacalis. ℞. succorum calendulæ, oxalidis sylu. cardui bened. scabiosæ, verbenæ, scordij, verbasci masculi, galegæ seu rutæ caprariæ, an. lib. j. theriaces optimæ ℥. iij. Post longiorem maceratio-

nem

nem in loco calido duplici vase distillentur. Eiusmodi aqua vel per se ad ℥. ij. trésve, vel prioribus illis admixta propinetur. Operosiores aliæ in hunc modum parari poterunt:

℞. rad. angel. torment. zedoar. pimpin. gentianæ, carlinæ, cardui Mariæ, helenij, dictamni albi, cort. med. fraxini an. ℥. ij. cinnam. ℥. j. ß. santali rubri & citrini, corticis citr. an. ℥. j. theriac. & mithrid. an. ℥. j. ß. Trita macerentur in vini generosi quinquies destillati & succi scabiosæ æquis partibus, idq; in fimo locóve alias calido ad octiduum: deinde vase duplici distillentur. Aqua seruetur vsui. *Alia.*

℞. calend. melissæ, beton. scord. scabiosæ, card. bened. bugl. succisæ, pimpin. oxalidis an. M. ij. florum tunicis & verbasci, hyperici, summitatum rutæ an. P. iij. rad. tormentillæ, dictamni, gentianæ, carlinæ, petasitis, angelicæ, bardanæ, caryophyllatæ, helenij, pimpin. an. ℥. ij. boli arm. præpa. & baccarum iuniperi an. ℥. j. ß. terræ sigillat. ℥. j. cort. & s. citr. s. oxal. card. benedict. cardui Mariæ, & ocymi an. ʒ. vj. margar. præpar. ras. eboris & cornu cerui, coralli an. ℥. ß. macis, cinnam. an. ʒ. ij. incisis incidẽdis, contusis contundendis, macerentur omnia biduo in vini albi generosi partibus duabus & succi limonum parte vna. Dein destillentur igni lento in diplomate. Tandem quæ extillabit aqua in vase vitreo bene operculato reponatur ad vsum. *Alia.*

Interim si astrictior erit aluus, enemate tali emol *Clyster.*

emolliri cierive poterit:

Clyster. ℞.summit.alth.& malu.cũ radicibus, violar. pariet. mercur. vtriusque bugl.an.M.j. baccar. iuniperi,4.s.frig.maior. s.lini, alth.an.ʒ.ij. ros. rub. P.j. fi. decoct. in iure capitis veruecini ad lib.j. Col.diss.mel.ros.& sacchar. rub. an.℥.j.ß. elect. diaprunis simpl. ℥.j.add.ol.viol. ℥.iij. misce, fiat clyster.

Conditum. ℞. cons. florum vtriusque bugl. ros. & viol. an.℥.ß. cons.oxal.ʒ.iij. cort. citr. sacch. conditi ʒ.ij.p.elect.diamarg. frig. & è gemmis an. ℈. iiij.boli arm.præpar.ʒ.j. scobis eboris & cornu cerui, margar. præpar. & coralli vtriusque an. ʒ.ß.ramentorum cornu Monocerotis ℈.j. folia auri incisa Num.vj. Cum sacchari albi q.s.fiat conditum de quo vtatur æger ex cochleari ad arbitrium, itidemq; tempore sitis ex aqua decoctionis rad. oxalidis, ras. cornu cerui & coriandri præparati.

Potus. Aliàs si febrilis ardor vehementior fuerit, vrgente siti exhibebitur hoc idem decoctum ex syrupo granatorum, aut de limonibus succóve citrij acido: vel eius loco oxysacchar potabile conditum tantillo cinnamomi, vel ipsum etiam oxycraton. At citra febrim grauiaq; symptomata illam comitari solita vinum dilutum decocto ras.cornu cerui non denegauerim.

Puluis. ℞.ras.cornu cerui,eboris & coralli præparatorum an.ʒ.j.s.oxal.citr.an.ʒ.ß. margar.præpar. & ramentorum cornu Monocerotis an. ℈.j. sacchari rosati ad pondus omnium.fiat puluis

inden

indendus inspergendúsve iusculis, hordeatis, panis intrito, aliisq; id genus cibariis.

Epithema. ℞. aquarum melissæ, bugl. ros. oxalidis, succisæ, scabiosæ, cardui bened. & scordij, vini odorati an. ℥. iij. succi limonum & aceti ros. an. ℥. j. ß. theriaces & mithrid. an. ℥. ß. p. diamarg. frig. & elect. è gemmis an. ʒ. ij. ʒ. santal. cort. citr. sicci, cinnam. caryoph. ros. rub. ossis è corde cerui, dictamni, zedoariæ, grani tinctilis an. ʒ. j. schœnanth. troch. de caphura an. ʒ. ß. croci ℈. j. misce: fiat epithema, quod tepidum ex panno coccineo frequenter inducatur regioni cordis.

Linimentum. Vel, ℞. ther. electæ ʒ. ij. terræ sigill. ʒ. j. ß. pulu. scord. dictamni, ros. rub. & santalorũ omnium an. ʒ. j. aquæ ros. & aceti, succi limonum an. ℥. ß. fi. ad modum linimenti, quo regio cordis frequenter illinatur. Vel:

Vnguentum. ℞. olei antiqui lib. ß. vini maluat. aut etiam stillatitij ℥. iij. scorpiones num. xxx. radic. tormentillæ, dictamni, rutæ caprariæ an. ℥. ß. s. ocymi ʒ. ij. coquantur in diplomate ad horas vj. Sub finem adde florum myrti & aurantiorum, florum meliss. & tunicis, hyperici, an. P. j. croci ℈. j. Expressioni adde ceræ trientem aut quadrantem, vt fiat vnguentum in eundem vsum.

Oleum scorpionum. Sed iure optimo instar omnium eiusmodi topicorum fuerit oleum illud scorpionũ Matthioli, aut etiam illud alterum à Fallopio in lib. de bubone pestilenti descriptum, seu carpis ac temporibus, seu etiam regioni cordis adhibitum.

Interim

Interim præter electaria tam solida quàm mollia in Prophylactice proposita, quæ hîc etiam ex interuallis rectè vsurpari poterunt, apozema in pestilenti febre plurimùm conueniet, quale id est quod proximè sequitur, quóque sæpenumerò sum fœliciter vsus.

Apozema. ℞. radic. cich. oxal. bugl. an. ℥. j. rad. pimpin. tormentillæ, caryophyllatæ an. ℥. ß. prunorum damasc. num. x. cichorij, oxalidis, scabiosæ, vtriusq; buglossi, fumariæ, an. M. j. melissæ, scordij, an. M. ß. s. citr. oxal. endiu. card. bened. an. ʒ. j. ß. florum trium cord. & calendulæ an. P. j. fiat decoctio ad ℥. xv. Col. diss. syr. de succo oxal. & de succo citr. acido an. ℥. ij. pro 4. dosib. sumendis mane & vesperi cum totidem tabellis diamarg. fri. idq; horis duabus tribúsve ante cibos.

Tandem inclinãte morbo & signis concoctionis apparentibus si qua impuritas superederit, blandioribus catharticis exhaurienda, additis perpetuò cardiacis, sequẽtem in modum:

Potio purgãs. ℞. aquarum scab. & card. bened. an. ℥. j. ß. In iis macera rhabar. elect. ʒ. j. ß. agar. recẽns tro. ʒ. j. cinnam. gr. vj. in express. diss. ras. cornu cerui & marg. præpar. an. ℈. j. syr. ros. l. x. & mannæ gran. an. ℥. j. misce, fi. potio, quę propinetur summo mane cum cust. & reg. artis. Sin aquarum loco magis placebit decoctum,

Alia. ℞. tamarind. elect. ʒ. iij. vuar. pass. mund. polyp. q. & fol. sennæ orient. mund. an. ʒ. j. ß. rad. tormen. gramin. & dictamni an. ʒ. ß. s. anisi, fœnic.

fœnic.citr. card.bened.coriand.præpar. an.℈.j. ſuccisæ,oxal.agrim. pimpin. ſcabioſæ & ſcord. an. P.ß. epith. florum vtriuſque bugl. & violarum an.P.quartam partem.fi.decoctio ad ℥.iiij. Col.infunde rhab.el.& agar. recens troch. an. ʒ.j.cinnam.tenuis ℈.ß. In expreſſ.diſſ.raſ.cornu cerui ℈.j. ſyr.roſ.lax. & viol. ex 9. infuſ. an. ℥.j. Miſce:fi.potio, quæ detur vt antè.

Quòd ſi quæ ſymptomata ita vrgebunt, vt curationem aliquam deſiderare videantur, iis non alia quàm quæ cæteris in febribus, quibus itidem iſta ſuperuenire ſolent, adhibēda erunt auxilia.

Remedia topica Bubonis.

Cùm primùm in adenum locis dolor percipitur, multoq́; magis ſi iam eminere bubo cœperit, partim ei ipſi qua ſeſe obtruſerit parti adhibitis attrahētibus foras euocandus, partim etiam diaphoreticis diſcutiendus eſt. Quin & audacter ſi ſegnior fuerit naturæ motus, mitiorq́; etiamnum dolor, aliquoties & ex interuallis imponenda cucurbitula, quemadmodum & antè ſuperiori capite docuimus.

℞.rad.alth.liliorum & tuſſilag.an.℥.iij. ſummit.alth.malu.ſcabioſæ, bubonij ſeu aſteris Attici an.M.j. fol.rutæ M. ß. ſ.lini,alth.& fœnigr. an.℥.ß.ſummit.anethi,florum chamæm.& melil. an. P.j. fi.decoctio in hydrelæo,qua calente imbutæ ſtupæ cannabinæ perpurgatæ & inter orbes ligneos expreſſæ parti affectæ imponantur, *Fotus.*

nantur,

nantur, horisq; singulis permutentur. Spongia, filtro hapsóve lanæ succidæ itidem immerso & expressio eundem effectum consequeris.

Cataplasma. ℞. cæpam grandiorem vnam vel plures: meditullium excauato & impleto theriaca vel mithridatio, foliisq; aliquot rutæ contritis, dein sub cineribus calentibus coquito: pòst contundito, tandemq; addita fermenti acris & axung. suillæ quant. suff. fingito cataplasma, quod calens adhibeatur, ac sæpius iteretur. Vel:

Aliud. ℞. rad. symphyti ma. & liliorum alborum an. ℥. ij. cæparum ℥. j. nucleorum alliorum & rad. valer. an. ℥. ß. fol. rutæ, dictamni & scord. an. M. ß. Coquantur dum cōtabescant: dein terantur: tritis & cribro cretis adde fol. oxal. sub prunis coctorum M. j. florum chamæm. pul. ʒ. ij. axung. suillæ, butyri recent. an. ℥. j. ß. olei liliorum ℥. j. fermenti acris ℥. ß. mithrid. ʒ. ij. misce: fi. cataplasma. Vel:

Vnguentum. ℞. vng. dialth. ℥. j. but. recent. olei liliorū & de scorpion. an. ʒ. vj. fermenti acris ℥. ß. mithrid. ʒ. ij. vitellos ouorum num. ij. fi. vnguentum, cui interdum, si videbitur opus, vng. basilici ℥. j. addi poterit.

Vesicatorium. Interim etiam prope bubonē deorsum versus infra quatuor aut quinque transuersos digitos haud erit inutile vesicatorium adhibere, quo materiæ venenatæ pars aliqua eò deriuetur: scilicet ex sapone nigro & sale torrefacto, aut, si potētius desiderabitur, è fermento acri & pul.

pulu. cantharidum, addito ſ. ameos & aceti tantillo. Prominentes verò hac arte bullas excidere oportebit, quò ſero & ſaniei pateat exitus, ac deinde braſſicæ aut betæ rubræ, hederæ've folia quæ flammam ſenſerint oleo recentíve butyro illita, ne tam citò ſicceſcat vlcus, identidē imponenda.

Sin attracta materia ad ſuppurationem vergere videbitur, tùm illico ad ſuppurantia trāſeundum, quibus pro ratione doloris aut impactæ materiæ qualitate modò lenientia ac digerentia, modò emollientia ac leuiter etiamnum attrahentia rectè admiſceri poterunt. Tale conueniet in calidiore materia cataplaſma.

Cataplaſma.

℞. rad. alth. & ſymph. ma. an. ℥. j. ß. rad. liliorū & bryonię an. ℥. j. malu. alth. & viol. an. M. j. caricarum pinguium num. x. ſcord. & dictamni, an. M. ß. Coquantur dum contabeſcant: dein contuſis & cretis adde fol. oxal. ſub prunis coctorum M. ij. far. lini & hord. an. ℥. j. vng. baſilici ℥. ij. but. recentis & axung. ſuillæ an ℥. j. ß. miſce: fi. cataplaſma. In frigidiore verò materia:

Aliud.

℞. vng. baſilici ℥. iij. fermenti ſecalini acris ℥. ij. far. tritici ℥. j. theriaces ℥. ß. add. olei liliorum, de ſcorpion. & but. recent. an. ℥. j. vitellos ouorum num. ij. croci ʒ. ß. fi. cataplaſma.

Magnam partem maturato tumore adacto ex arte ſcalpello vel adhibito cauſtico exitus genito puri comparandus eſt, cauendumq; poſteà ne inde excitatum vlcus præproperè cicatrice obducatur.

Quòd ſi ea eſt tumoris inflammatio, quæ gangrænam minetur, haudquaquam expectata maturatione pars altiùs vndique ſcalpello ſcarificanda, tumq; vulnuſculis confeſtim adhibendus oua ponẽtis gallinæ deglabratus podex, inſerto prius ſalis grumo, tandiuq; cõpreſſo ex interuallis illius roſtro cõtinendus, dùm extincta ſit: hac mortua aliquot aliæ ſubinde admouendæ, quò facilius totum peſtilens virus exhauriatur. Sunt qui bipartitò ſectos & adhuc calentes pullos, catellos, aut pipiones nõ minore vtilitate adhibent, quod & antè monuimus.

Carbunculi topica remedia.

Si carbunculum ſtatim ab initio comitantur dolor vehemens magnaq; inflammatio, cõmemorata aliquot animalcula bipartitò ſecta & ſuopte natiuo calore adhuc tepentia ſubinde admoueri oportet, aut eorum loco fotum ſequentem, qui quidem ſimul emolliat, relaxet, diſcutiat ac moderatè refrigeret, atque adeò tum ardoris vehementiam, tum etiam doloris acerbitatem leniat.

Fotus. ℞. rad. alth. & liliorum, an ℥.ij. fol. alth. malu. viol. oxalidis, ſucciſæ, tuſſillaginis cum toto, an. M.j. caricarum ping. num. x. ſ. lini & alth. an. ℥.ß. dictamni, ſummit. aneth. florum cham. & melil. liliorum, an. P. j. fi. decoct. in hydrelæo pro fotu carbunculi aliquoties iterando.

Poſt

Poſt eum fotum conueniet ſequens cataplaſma:

℞.foliorum malu.violar.oxal.aizoi,tuſſilag. & ſuccisæ, an.M.j. foliorum hyoſcyami M.ß. ſ. lini ℥.ß. Probè coquantur ac deinde terantur. Tritis & cribro traiectis add. vitellos ouorum numer. iiij. mel. roſ. ℥. iij. ther. ʒ. ij. far. hordei q. ſ. fiat cataplaſma identidem renouandum priuſquam exareſcat. Sed remittente vtcunq; dolore foliis hyoſcyami itemq; aizoi & melli roſ. ſubſtitue olei liliorum ℥. ij. but. recentis ℥.ß. Vel, *Cataplaſma.*

Ex oleo viol.far.hordei,ouo integro & theriaca paretur aliud cataplaſma. Intereà verò, maximè ſi vnicus fuerit & incomitatus carbūculus, leuanda pars affecta infra ipſum digitis quinque ſexve adhibita leui cucurbitula, deindeq; veſicatorio, velut & in bubone dictum eſt.

Sin leuior eſt inflammatio, mitiorq; etiamnum dolor, virus peſtilens potentiùs extrahet protinus ab initio adhibita extuberāti loco leuis cucurbitula, deindeq; tale cataplaſma:

℞.rad.liliorum, cæparum,an.℥.j. caric. ping. num.vj. Coquantur in aqua dum abſumpta ſit. Contuſis adde fermenti acris ℥.ß. limaces ſine teſtis nu.vj. ſinapeos vulgaris, fimi columb ſaponis mollis, an.ʒ.j. ther. & mithrid.dictamni, tormentillæ, an.ʒ.ß. vitellos ouorum nu.iiij.fi. cataplaſma. *Cataplaſma epiſpaſticon.*

Quòd ſi ita liueſcit, nigreſcitve puſtula, vt *Cauſtica.*

gangrænæ metum incutiat, (quod ferè in carbunculi augmento vsuuenire solet) illius acumini adhibendum fortius ægyptiacum, causticúmve aliquod: aut aqua forti feruentíve oleo inurenda pustula: pars verò ipsam ambiens altioribus plagis scarificanda, quò fœliciùs sanguis crassus ac retorridus profluat, deindéque muria calente proluenda: ac tandem huic impsi imponendum proximè sequens cataplasma:

Cataplasma. ℞. micæ panis furfuracci lib. ß. plantag. M. ij. scord. M. j. Coquantur in oxycrato vel oxymelité, ac terantur: dein. add. far. lentium & fabarum, an. ℥. j. ß. misce in formam cataplasmatis, quod identidem innouandum, ne ab inflammata & quasi erysipelate obsessa parte ocyus quàm par est exiccetur.

Alioquin his omissis promouenda carbũculi suppuratio eiuscemodi remedio, quod quidem egregiè ipsum coquere, maturare atq; etiã rumpere compertum est.

Pulticula. ℞. fuliginis communis ℥. iij. salis mar. ℥. j. ß. cũ ouorum vitellis & succo scabiosę aut symphyti subigantur in pultis speciem. Aut:

Cataplasma. ℞. scabiosæ M. ij. foliorum rutæ M. j. Terantur in mortario lapideo, add. axung. suillæ veteris ℥. ij. salis mar. ℥. ß. vitellos ouorum N. iiij. misce: fi. cataplasma. Aut:

Aliud valentius. ℞. pulpæ caricarum ℥. iiij. nucleorum iuglandis rancidorum vel assatorum ℥. ij. fermenti acris ℥. j. sinapeos ʒ. vj. salis mar. torrefacti ℥. ß. aut salis

ſalis foſſilis ʒ.ij.ſaponis mollis & theriaces, an. ʒ.j.lutea ouorum num.iiij. ol. liliorum q.ſ. fi. cataplaſma.

Tùm quoque, maximè ſi ſtata fluxio videbitur, tota partis inflammatæ vicinia defenſiuo quod vocant munienda eſt, ne fortè venenata materia intro ad partes principes regeratur. Tale verò commodè parabitur ex vng. è bolo & oleo acetoq; roſaceis. Vel:

Linimentum.

℞.vng. roſ. Meſ.℥.ij. aceti, ſuccorum plantag. & oxal. an. ℥.j. boli arm.ſang. drac. & terræ ſigill. an. ℥.ß.ſantali vtriuſque,coralli vtriuſque, an. ʒ.ij.ol.roſ.omphac. & ceræ albæ an.q.ſ.fi.linimentum. Vel:

Vnguentum.

℞.boli arm.℥.iiij. ſang. drac.℥. ij. cornu cerui vſti & rament. eboris, ſantali rub. an.ʒ.ij. aceti & ſucci plantag.an.℥.ij. album. ouorum nu.iiij. caph.℥.ß.ol.roſati & myrt.an.lib.ß.ceræ ℥. iij.fi. vnguentum in eundem vſum.

Eſcharæ verò iam nutare incipientis caſum rectè promouebit ſequens cataplaſma:

Cataplaſma.

℞. alth. malu. violar. an.M.ß. far. triticeæ, & adipis ſuilli recētis an.℥.ij.muccag. ſ.alth.& lini ℥.j. vitellos ou. num. ij. fingito ex arte cataplaſma.

Tandem vbi cruſta exciderit,haud ſecus atque poſteaquam apertus fuerit bubo, reliquis malignis vlceribus communis curatio adhibenda : ita tamen vt perpetuò ea permiſceantur quæ veneno aduerſentur, ipſiusq; prauam qualitatem quodammodo remittant ob-

tundántve: cuiuſmodi ſunt theriaca, ſcordium, dictamnus, cæteraq; id genus. Imprimis verò detergentia longiore continuanda tempore, iisq; tandiu admiſcendum, vel certè ſuperimponendum aliquod ex attrahentibus medicamentis, vt ne quid virulentæ materiæ intus reſtitet, quod deinde perniciem ac mortẽ etiam inopinatam accerſat, veluti multis qui ſanitati propemodum reſtituti videbantur accidiſſe obſeruatum eſt. Sed hæc hactenus.

CÆTERVM ne vacarent ſequentes hæ paginæ, neve ſæuiſſimæ vaſtiſſimæq; peſtis deſcriptionem ex erudita illa Græcorum hiſtoria duntaxat petendam eſſe arbitrareris: placuit, Lector beneuole, ob oculos ponere deſcriptiones alias, quæ manent manebuntq; ſemper dũ literæ Latinæ loquentur, easq; ex Lucretio, Vergilio, Ouidio & Silio Italico hîc exſcribere: quod eo ſtudio facimus, vt faciliùs quiuis eas inuicẽ conferre ac inter ſe componere poſſit, & Antiquitatem ſummo in honore habendam intelligat, quæ tam immanem belluam ſuis viuisq; adeò coloribus ad vnguẽ non modò depinxerit, ſed expreſſerit etiam: vix vt eruditius quicquam apud vtriuſq; linguæ Scriptores inuenias.

*

EX

EX THVCYDIDIS HISTORIARVM LIBRO ſecundo.

ΚΑΙ ὄντων αὐτῶν οὐ πολλάς πω ἡμέρας ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι καὶ περὶ Λῆμνον καὶ ἐν ἄλλοις χωρίοις. οὐ μέντοι τοσοῦτός γε λοιμὸς, οὐδὲ φθορὰ οὕτως ἀνθρώπων οὐδαμοῦ ἐμνημονεύετο γενέσθαι. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν, τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ᾽ αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα προσήεσαν, οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη οὐδεμία. ὅσα τε πρὸς [1] ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν. τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν, ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι. ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς Αἴγυπτον καὶ Λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε. καὶ τὸ πρῶτον ἐν τῷ Πειραιεῖ ἥψατο τῶν ἀνθρώπων, ὥστε καὶ ἐλέχθη ὑπ᾽ αὐτῶν ὡς οἱ Πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα. κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι. ὕστερον δὲ καὶ ἐς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο, καὶ ἔθνησκον [2] πολλῷ μᾶλλον ἤδη. λεγέτω μὲν οὖν περὶ αὐτοῦ ὡς ἕκαστος γιγνώσκει καὶ ἰατρὸς καὶ ἰδιώτης, ἀφ᾽ ὅτου εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ, καὶ τὰς αἰτίας ἅς τινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι χεῖν. ἐγὼ δὲ οἷόν τε ἐγίγνετο λέξω, καὶ ἀφ᾽ ὧν ἄν τις

[1] *Sic Liuius Dec. 1. libr. 1.* Inops Senatus auxilij humani ad Deos populum ac vota vertit, iussi cũ coniugibus ac liberis supplicatum ire, pacemq; exposcere Deûm. *Rursum Dec. eiusdem libr. 7.* Cùm vis morbi nec humanis cõsiliis nec ope diuina leuaretur, victis superstitiõe animis &c.

[2] *Sic Liu. dec. 1. lib. 10.* portentoq; iam similis clades erat.

σκοπῶν, εἴ ποτε καὶ αὖθις ἐπιπέσοι, μάλιστ' ἂν ἔχοι τι προειδὼς μὴ ἀγνοεῖν, ταῦτα δηλώσω, αὐτός τε νοσήσας, καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας. τὸ μὲν γὰρ ἔτος, ὡς ὡμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη. τοὺς δὲ ἄλλους ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης ὑγιεῖς ὄντας πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραί, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε. καὶ τὰ ἐντός, ἥ τε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν, καὶ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες ἠφίει. ἔπειτα ἐξ αὐτῶν πταρμὸς καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο. καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος, μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ. καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀνέστρεφέ τε αὐτήν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσίν, ἐπήεσαν, καὶ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης. λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε [2] κενή, σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρόν, τοῖς μὲν, μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δέ, καὶ πολλῷ ὕστερον. καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα, οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρόν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνόν, φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός. τὰ δὲ ἐντὸς οὕτω ἐκαίετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολάς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι. καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό, τε πλέον καὶ ἔλασσον ποτόν. καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διαπαντός. καὶ τὸ σῶμα, ὅσονπερ χρόνον καὶ ἡ νόσος ἀκμάζοι, οὐκ ἐμαραίνετο, ἀλλ' ἀντεῖχε παρὰ δόξαν τῇ ταλαιπωρίᾳ. ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι [3] ἐναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος, ἔτι ἔχοντές τι δυνάμεως,

ἢ, εἰ

[2] fortè, πυκνή, *frequens.*

[3] *Sic Liu. dec. 1. lib. 1.* qui inciderant, haud facilè septimum diem superabant: qui superauerant, longinquo maximè quartanæ implicabantur morbo.

ἢ, εἰ διαφύγοιεν. ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαρροίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, οἱ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο. καὶ διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν. καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε. κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς αἰδοῖα, καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας. καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον. εἰσὶ δ᾽ οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους. γενόμενον γὰρ κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου, τά τε ἄλλα χαλεπωτέρως ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν προσέπιπτεν ἑκάστῳ, καὶ ἐν τῷδε ἐδήλωσε μάλιστα ἄλλο τι ὄν, ἢ τῶν ξυντρόφων τι. τὰ γὰρ ὄρνεα [4] καὶ τετράποδα ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο. τεκμήριον δέ, τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ οὐχ ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως, οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν. οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι. τὸ μὲν οὖν νόσημα πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἑκάστῳ ἐτύγχανέ τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον, τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδέαν. καὶ ἄλλο παρελύπει κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων. ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. ἔθνησκον δέ, οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δέ, καὶ πάνυ θεραπευόμενοι. ἕν τε οὐδὲν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ, τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν. τὸ γάρ τῳ ξυνενεγκὸν, ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε. σῶμά τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτό, ἰσχύος πέρι ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ πάντα ξυνῄρει, καὶ τὰ πάσῃ διαίτῃ θεραπευόμενα. δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ, ἥ τε ἀθυ-

[4] *Sic Liu. dec. 5. lib. 1.* Cadauera intacta à canibus & vulturibus tabes absumebat, satísque constabat nec illo nec priore anno in tanta strage boum hominúmque vulturium vsquam visum.

μία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων (πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον) καὶ [5] ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου, θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον· καὶ τὸ πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο [6] ἐρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. ἐπιπλέον δ' ὅμως οἱ διαπεφευγότες τόν τε θνήσκοντα καὶ τὸν πονούμενον ᾠκτίζοντο, διὰ τὸ προειδέναι τε, καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι. δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν, ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε. καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ αὐτοὶ τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ἐλπίδος τι εἶχον κούφης μηδ' ἂν ὑπ' ἄλλου νοσήματός ποτε ἔτι διαφθαρῆναι. [7] ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτωμένων, ὁ φθόρος [8] ἐγίγνετο οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας, ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ. τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων. ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ, οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες, ὅ,τι γένωνται,

[5] *Sic Liu. dec. 3. lib. 5.* Posteà curatio ipsa & contactus ægrorum vulgabant morbos, vt aut neglecti desertiq; qui incidissent morerentur: aut assidentes curantesq; eadem vi morbi repletos secũ traherent.

[6] *Sic Liu. dec. 1. lib. 3.* vastati agri sunt, vrbs assiduis exhausta funeribus, multæ & claræ lugubres domus.

[7] *Sic Liu. dec. 1. lib. 3.* auxere vim morbi terrores populationis, pecoribusagrestibúsque in vrbem acceptis. Ea colluuio mistorum omnis generis animátium & odore insolito vrbanos & agrestem cõfertum in arcta tecta æstu ac vigiliis angebat, ministeriaq; inuicem ac contagio ipsa vulgabant morbos. *Rursum sic Liuius decad. 3. lib. 5.* Marcellus et tanta vis ingruebat mali, adduxerat in vrbem suos: infirmaq; corpora tecta & vmbræ recreauerant: multi tamen ex Romano exercitu eadem peste absumiti sunt.

[8] *Sic Liu. dec. 5. lib. 1.* Eorum strages per omnes vias insepultorum erat.

ται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο[9] καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως, νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς. ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἠδύνατο, καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, διὰ τὸ συχνοὺς ἤδη προτεθνάναι σφίσιν. ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν, ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον. οἱ δὲ, καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβαλόντες ὃν φέροιεν ἀπῄεσαν. πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τ' ἄλλα τῇ πόλει ἐπὶ πλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τις ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο, μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες, τῶν τ' εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων,[10] εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων. ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι. καὶ τὸ μὲν προσαλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ οὐδεὶς πρόθυμος ἦν ἄδηλον νομίζων εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὸ ἐλθεῖν, διαφθαρήσεται. ὅ, τι δὲ ἤδει τε ἡδὺ καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὸν κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν καὶ χρήσιμον κατέστη. θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε, τὸ μὲν, κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ καὶ σέβειν καὶ μὴ, ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους· τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδεὶς ἐλπίζων μέχρι τοῦ δίκην γενέσθαι βιοὺς ἂν τὴν τιμωρίαν ἀντιδοῦναι. πολὺ δὲ μείζω τὴν ἤδη κατεψηφισμένην σφῶν ἐπικρεμασθῆναι, ἣν πρὶν ἐμπεσεῖν, εἰκὸς εἶναι τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι.

*

[9] *Sic Liu. dec. 3. lib. 5.* Postremò ita assuetudine mali efferauerant animos, vt non modò non lacrymis iustóque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem aut sepelirent: iacerentq; strata exanima corpora in conspectu similem quoque mortẽ expectantium: mortuiq; ægros, ægri validos cùm metu tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent.

[10] *Huc pertinet illud Solonis:* χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτ' ἄλλος ἔχει. *Sic & Apollodo.* ὁ καιρὸς ὁ τυχὼν τοῖς μὲν οὐ κεκτημένοις ἔδωκε, τῶν κεκτημένων δ' ἀφείλετο.

HAEC EADEM IISDEM PROPE VERBIS CONVERSA LATINA FECIMUS.

ſa Latina fecimus.

PAVCIS pòſt diebus cœpit Athenięſes primùm peſtis inuadere, quæ quidem anteà multis tum circa Lemnum, tum & aliis in locis graſſata ferebatur: verumtamen peſtilentia nec tanta vſpiam alibi, nec hominum ſtrages quanta tùm Athenis accidiſſe memorabatur. Nec enim opis quicquam afferebant Medici, qui inter initia mali incognitum adhuc ſibi morbum curare aggrediebantur, quin & ipſi omnium maximè [1] moriebantur, vt proximè ad ægrotos accedebāt: atq; vti nō iuuabat Medicina, ita multò minùs vlla alia ars humana iuuare poterat. Sed & quæcunque ciues ad ſacras ædes vota nuncupauere ſupplicia, cōſulta vatū oracula, & quotquot eiuſmodi, quæ ad placandum Deos pertinerent, quæſiuere remedia, omnia certè fruſtrà fuere. Adeoq́; diuina pariter & humana auxilia vi mali ſuperati tandem miſſa fecerunt. Inchoauit [2] autem primùm quidem, vti ferunt, ab ea Æthiopiæ parte quæ ſupra Ægyptū eſt, deinde etiam in Ægyptum Libyamq́; peruaſit, vt & in magnam Regis Perſarum ditionis partem.

tem. Pòſt in vrbem Athenienſium derepentè incidit, ac primùm quidem homines in Piræo tentauit: quæ cauſa fuit, vt vulgò venena dicerentur in puteos (necdum enim erant eò loci fontes) à Peloponnenſibus iniecta fuiſſe. Mox & in ciuitatis ſuperiorem partem ea permanauit: tumq; multò [3] plures occidebant. De [3] illo igitur malo pronuntiet pro ſuo quiſque iudicio Medicinæ peritus iuxta & imperitus, vnde id ortum fuiſſe ſit veriſimile, quaſq; cauſas exiſtimet idoneas extitiſſe, quæ ad tam grauem mutationem vim haberent. Equidem id mali cuiuſmodi fuerit referam, & quibus potiſſimùm indiciis præmonitus à me poſſit aliquis peſtilentiam, ſi quando rurſum ingruat, internoſcere docebo: vt qui & ægrotauerim ipſe, & laborantes alios viderim. Enimuero annus is omnium maximè, quod erat in confeſſo, aliarum ægritudinum immunis erat. Quòd ſi qui morbis aliis anteà laborabant, ij omnes in hũc peſtilentiæ morbum vertebantur. Cæteros autem integrè ſanos nulla occaſione, imò etiam ex improuiſo principiò quidem vehementes [4] capitis ardores & oculorum rubores cum in- [4] flammatione corripiebant. [5] Intimæ verò par- [5] tes oris tum fauces, tum etiam [6] lingua conti- [6] nuò cruore manabant, halitumq; [7] tetrum & [7] graueolentem emittebant. His deinde ſternutatio & raucitas accedebant: nec ita multò pòſt dolor in [8] pectus cum violenta tuſſi decumbe- [8] bat, qui cùm in corde hæſerat firmatusq; erat,

ipſum

ipſum ſubuertebat : tumq; bilis excretiones
quotquot ſuis nominibus ſigillatim Medici de-
9 ſignarunt omnes cum [9] ingenti cruciatu ſuper-
10 ueniebant.[10] Singultus inanis vexabat complu-
11 res , violentam ciens [11] conuulſionem : quæ
quidem aliis paulò poſt , non niſi longo pòſt
12 tempore aliis ſedaretur. Et [12] ſummũ quidem
corpus tactu nõ magnoperè calidum ſentieba-
tur, nec erat aſpectu pallidum, ſed ſubrubrum,
13 liuidum,[13] puſtulis exiguis ac vlceribus efflore-
14 ſcens. At verò [14] corporis interiora vrebantur
15 & flagrabant , vt ne [15] ſtragularum quidem ve-
ſtium, neque linteorum perquàm tenuium ve-
lamina ſuſtinerent, nec præter nuditatem aliud
quicquam tolerare poſſent : imò verò ſeipſos
16.17 etiam in [16] gelidam coniicere & in ipſos [17] pu-
teos ſeſe præcipites dare percuperent :quod
18 quidem [18] inexplebili ſiti adactos feciſſe con-
ſtat non parum multos ex hominum eo nume-
ro quibus cuſtodes defuere. Iis verò ad ſitim
19 depellendam [19] æquè ſatisfaciebat parcior atq;
20 liberalior potus. [20] Inquies quoque maxima &
21 perennes vrgebant [21] vigiliæ. Neq; tamen cor-
pus etiam dum morbi vigor eſſet emaciabatur,
ſed impetum morbi hominum opinione for-
22 tiùs ſuſtinebat. Itaque plerique [22] aut nona ſe-
ptimáve die etiam tùm virium aliquid haben-
tes, reliqui præ interno æſtu & ardore necabã-
23 tur : aut ſi tempus id [23] ſuperauerant , in aluum
deriuato morbo inibiq; vlceratione vehemen-
ti coorta ſimul & accedente immoderato pro-
fluuio,

fluuio, tandem prę virium infirmitate peribāt. Etenim quæ lues ſedem primùm in [24] capite poſuerat, ſupernè exorſa corpus vniuerſum peruagabatur. Quod [25] ſi quis è maximis hiſce periculis ſuperſtes euaſerat, nihilominus extremas ipſius partes occupans læſio tanquam expreſſum quoddam veſtigium magnitudinis morbi relinquebatur: [26] irrumpebat enim morbus tādemq; decumbebat tum in pudenda, tum etiam in ſummas manus ſummosq; pedes. Ac partibus hiſce [27] mutilati multi mortem effugiebant. Sunt qui [28] oculis priuati manſerint in vita. Nonnullos etiam cùm primùm ex morbo aſſurrexiſſent, eo ipſo momento rerum peræquè [29] omnium tanta cepit obliuio, vt & ſeipſos & neceſſarios ignorauerint. Porrò genus hoc morbi non modò fuiſſe maius, quàm vt oratione dignè poſſit exprimi, ſed etiam à vulgaribus aliis longè diuerſum, tum quòd quàm ferret humana natura grauiùs acerbiusq; ægrotum vnumquenque afficiebat, tum vel hoc ipſum omnium maximè indicauit, quòd [30] alites atq; quadrupedes eæ quæ carnibus humanis haudquaquā abſtinent, quanuis hominum conferta [31] cadauera iacerent inſepulta, ad ea tamen tùm tēporis vel non accedebant, vel certè deguſtatis iis interibant. Argumento fuerit alitum eiuſmodi manifeſta inſolensq; [32] penuria: quippe quæ nec circa proiecta cadauera, nec vſquam alibi comparerent. Eiuſce [33] verò rei maius certiusq; ſpecimen dabant canes, tanquam homi-

num

num alioqui hoſpites & quaſi conuictores. Atque vt de morbi inſolentia multa prætercam, is prorſus eiuſmodi ſuapte natura fuit: niſi quatenus diuerſum quiddam alii ab alio cótingebat. E conſuetis morbis tùm alius nullus infeſtabat: ſi qui verò oborirentur, in hunc ipſum deſinebant. Moriebantur autem pars quidem [34] per [34] incuriam neglecti, alii verò quantumuis diligenter atque ſedulò curati. Nec enim, vt v-[35] no verbo rem complectar, vllum [35] compertum eſt remedium, quod exhibitum certò iuuaret: [36] quippe quod [36] vni profuerat, idipſum nocebat alteri. Neque rurſum viſum eſt corpus vllum ſeu firmæ ſeu infirmæ valetudinis, quod aduerſum morbi vim ſatis inſtructum foret: quin conficiebantur pariter omnes, etiam qui omni victus ratione obſeruata curabantur. Ma-[37] lorum autem omnium id vnum [37] teterrimum maximeq́; horrendum fuit, quòd qui ſeſe prehenſos morbo ſenſerãt, animos illico deſpon-[38] debant (ſiquidem ſpe ſalutis penitus [38] ſublata confeſtim magis magisq́; ſeipſos abiiciebant, nec remedia quærebant, quibus ipſi morbo reſiſterent) & dum alij alios curarent, contagium [39] [39] pecudum inſtar haurientes, eademq́; vi morbi repleti moriebantur. Et hæc quidem magna ex parte internecionis cauſa fuit: nam ſiue me-[40] tu [40] deterriti nollent ad ſeſe inuicem accedere, opis expertes atque adeò deſerti peribant (multas quippe domus penuria miniſtrantium exhauſtas fuiſſe conſtat) ſiue etiam [41] acceſſiſſent, [41]

vtrique pariter interibant, iiq́; inter cæteros qui [42] virtutis, humanitatis & officij partem aliquam ſibi vendicabant. Hi enim vel [43] pudore coacti haudquaquã ſibi parcebant in adeundis amicis: quandoquidem animaduertebant [44] pereuntium lamentationibus & querelis tãdem & ipſos propinquos atq; domeſticos minimè moueri, ſed iis etiam ſuccumbere atque fatiſcere ipſius mali vehementia ſuperatos. Veruntamen morientium laborantiumq́; ſortem ij præcipuè miſerabantur qui priùs euaſerant: tum quia morbum priùs experti quàm grauis aliis eſſet haud erãt ignari, tum quia & ipſi iam in tuto verſabantur, erantq́; de ſeipſis planè ſecuri. Eundem enim bis minimè prehendebat morbus, qui certè quidem ad exitium deduceret. Illi iccirco ab aliis beati habebantur, & ipſi ex præſenti repentinaq́; lætitia in poſterũ quoque ad eam leuem inanémque ſpem deuoluebantur, vt ne ab alio quidem vnquam morbo abſumtum iri ſe crederent. Vrbanos autem præter ingruentem vim mali etiam peius habuit ex agris hominum vndique frequens in vrbem appulſus atque conuentus: & is quidem [45] ipſis etiam aduenis atque agreſtibus qui in vrbem confluxerant nihil minus fuit infeſtus & exitialis. Quòd enim [46] domus iis non ſuppeterent, ac proinde in tuguriolis æſtuoſis & anguſtis ea anni tempeſtate agere cogerentur, fœda & [47] confuſa quædam hominum [48] ſtrages edebatur. Siquidem moribundi [49] mortuis [49]

50 aceruatim accumulati paſſimq́; in viis [50] ſtrati
iacebãt, ac ſemianimes aquarum deſiderio cir-
51 ca [51] fontium riuos vndiq; volutabantur. Quin
52 &[52] templa,in quibus ſibi tabernacula colloca-
uerãt, hominum erant referta cadaueribus, qui
53 in dies eo ipſo in loco [53] moriebantur. Nam
54 grauiùs[54] ſæuiente malo nil penſi habentes mi-
ſeri quid agerent, ac veluti mente capti, ad rerũ
ſacrarum æquè ac profanarum contemtum &
55 deſpicientiam animos conuerterũt, tumq́;[55] iu-
56 ra ſepulturæ priſtina omnia violata fuere. [56] Se-
peliebat enim quo quiſque loco poterat. Ac
57 multi quidem [57] omni pudore poſito aliena v-
ſurpabant ſepulchra, quòd ob crebram ante e-
ditam domeſticorum ſtragem ſibi propria &
opportuna deeſſent. Præoccupatis itidem quos
58 alieni [58] extruxerant rogis mortuum ſuum alij
imponebant, flammaq; ſubdita incendebant,
alij, tùm etiam cùm iam cremaretur cadauer a-
liud, ſuo quod efferebant funere ſuperiniecto
diſcedebant. Cæterùm hic idem morbus ciui-
tati multò magis ad aliud genus omne vitio-
rum feneſtram aperuit. Etenim tùm primùm
audaciùs & ex animi ſententia cœpere quiſque
ea in publico patrare, quæ priùs non niſi clàm
& occultè alioqui facturi erant, ne luxui atque
libidini nimiùm inſeruire viderentur. Nempe
quia cernebant rerum mutationem momenta-
neam adeò, vt magnam partem locupletes de-
repentè tollerentur è vita, & qui priùs inopes
fuerant quæ illi poſſederant confeſtim occupa-
rent,

rent, operæprecium censebant suis quisq; fortunis & opibus quamprimùm & ad [59] voluptatem perfrui: vt qui corpora æquè ac fortunas caduca vniusq; ferè esse dieculæ arbitrarentur. Nemo denique studiosus erat [60] elaborandi in eo quod honestum videretur, incertum existimans, an priùs quàm illud assequeretur esset interiturus nécne. Quod autem nouerat vnusquisque voluptuosum ac modis omnibus quęstuosum sibi esse, idem honestum statuebat & vtile. Hos neque religio neque humana lex vlla coërcere poterat: quippe pietatem & impietatem eodem loco ponebant, quod iuxtà bonos malosq́; mortem oppetere cernerent: turpium verò facinorum pœnas daturum se nemo exputabat, etiamsi vita produceretur dum exercerentur iudicia: pœnam intereà multò grauiorem decretam iam atque constitutam suo quisque capiti impendere iudicabant, quã quidem priùs quàm sustinerent, par existimabant esse ex vita fructum aliquem capere ac genio liberaliùs indulgere, &c.

59

60

*

EVM LOCVM TOTIDEM FERE VERBIS ET EADEM ſerie ſic expreſsit Lucretius in calce ſui poëmatis.

*

Haec ratio [61] *quondam morborum & mortifer æſtus* [61]
Finibu' Cecropijs funeſtos reddidit agros,
Vaſtauítq; vias, exhauſit ciuibus vrbem.
Nam penitus [2] *veniens Aegypti è finibus ortus,* [2]
Aëra permenſus multum, camposq́; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis, omnes
Inde [3] *cateruatim morbo mortiq́; dabantur.* [3]
Principiò [4] *caput incenſum feruore gerebant,* [4]
Et duplices [84] *oculos ſuffuſa luce rubenteis.* [84]
Sudabant [5] *etiam fauces intrinſecus atro* [5]
Sanguine, & vlceribus vocis via ſepta coibat:
Atq; animi interpres manabat [62] *lingua cruore* [62]
Debilitata malis, motu grauis, aſpera tactu.
Inde [8] *vbi per fauceis pectus complerat, & ipſum* [8]
Morbida vis in cor mœſtum confluxerat ægris:
Omnia tùm verò vitaï clauſtra lababant.
Spiritus [7] *ore foras tetrum voluebat odorem,* [7]
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.
Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus, lethi iam limine in ipſo.
Intolerabilibúſque [9] *malis erat anxius angor* [9]

Aſsid

Aßiduè comes, & gemitu commiſta querela.
Singultusq́ue [10] *frequens noctem perſæpe, diémque*
Corripere aßiduè, neruos & membra coactans,
Diſſoluebat eos defeſſos antè fatigans.
Nec nimio [12] *cuiquam poſſes ardore tueri*
Corporis in ſummo ſummam ferueſcere partem:
Sed potiùs tepidum manibus proponere tactum,
Et ſimul [13] *vlceribus quaſi inuſtis omne rubere*
Corpus: vt eſt, per mēbra ſacer cùm diditur ignis:
Intima [14] *pars ho mini verò flagrabat ad oſſa:*
Flagrabat ſtomacho flamma, vt fornacibus, intus.
Nil adeò poſſes cuiquam leue, tenuéque membris
Vertere in vtilitatem: ad ventū, ad frigora ſemper,
In fluuios [16] *partim gelidos ardentia morbo*
Membra dabant, nudū iacientes corpus in vndas.*
Multi præcipites lymphis [17] *putealibus altè*
Inciderunt ipſo venientes ore patente.
Inſedabiliter [18] *ſitis arida corpora merſans*
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec [20] *requies erat vlla mali: defeſſa iacebant*
Corpora: muſſabat tacito medicina timore.
Quippe patentia cùm totas ardentia noctes
Lumina [21] *verſarent oculorum expertia ſomno.*
Multaq́ue præterea [63] *mortis tùm ſigna dabantur.*
Perturbata animi mens in mœrore, metúque:
Triſte ſupercilium, furioſus voltus, & acer:
Sollicitæ porrò plenæq́ue ſonoribus aures:
† *Creber ſpiritus: aut ingens, raroq́ue coortus:*
Sudorisq́ue [64] *madens per collum ſplendidus humor:*
†† *Tenuia* [65] *ſputa, minuta, croci contacta colore,*
Salſaq́ue: per fauces raucas vix edita tußis.

 In

10 * *Sic ferunt hiſtoria Heraclij Imp. temporibus tantam Romæ ac vicinis in locis fuiſſe peſtilentiæ vim, vt ea laborātes præ ardore in Tyberim ſeſe præcipitare cogerentur.*

† *Hipp. in progn.* πνεῦμα πυκνὸν μὲν ἐὸν πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίοισιν. μέγα δὲ ἀναπνεύμενον διὰ πολλοῦ χρόνου παραφροσύνην δηλοῖ. *Rurſum ſect. 4. aph. 50.* ἢν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

†† *Hipp. in progn.* πτύελον ξανθὸν ἐὸν ἢ πυρρὸν, ἢ πολλὴν βῆχα παρέχον, καὶ μὴ ἰσχυρῶς συμμεμιγμένον, κάκιον γίνεται. *Sic Celſ. lib. 2. Sputū etiam bilioſum & purulentum, ſiue ſeparatim iſta ſiue miſta proueniunt, interitus periculum oſtendunt.*

In manibus verò [11] *trahier nerui, & tremere* [85] *artus:*
A pedibusque [66] *minutatim succedere frigus*
Non dubitabat: item † *ad supremum denique tempus*
Compressæ nares: [86] *nasi primoris acumen*
Tenue, cauati oculi, caua tempora, [67] *frigida pellis*
Duraque inhorrebat, rictum frons tenta minebat.
Nec nimiò rigida pòst strati morte iacebant:
[22] *Octauoque ferè candenti lumine Solis,*
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum [23] *si quis (vt est) vitarat funera lethi*
Vlceribus tetris, & nigra proluuie alui:
Posterius tamen hunc [87] *tabes, lethumque manebat:*
Aut etiam multus [24] *capitis cum sæpe dolore*
Corruptus sanguis [68] *plenis ex naribus ibat:*
Huc hominis totæ vires, corpúsque fluebat.
Profluuium [25] *porrò cui tetri sanguinis acre*
Exierat, tamen in neruos huic [26] *morbus, & artus*
Ibat, & in parteis genitaleis corporis ipsas:
Et grauiter partim metuentes limina lethi,
Viuebant ferro [27] *priuati parte virili:*
Et manibus sine nonnulli, pedibúsque manebant
In vita tamen, & perdebant [28] *lumina partim:*
Vsqueadeò mortis metus his incesserat acer.
Atque etiam quosdam [29] *cepere obliuia rerum*
Cunctarum, neque se possent cognoscere vt ipsi.
Multaque humi cùm [88] *inhumata iacerent corpora supra*
Corporibus: tamen [30] *alituum genus, atque ferarum*
Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem:
Aut vbi gustarat, languebat morte propinqua.

† Hipp. in progn. ῥὶς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ συνεσταλμένα, καὶ οἱ λοβοὶ τῶν ὤτων ἀπεστραμμένοι, καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ μέτωπον σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον καὶ καρφαλέον ἐόν, &c. Sic Cels. libr. 2. capit. 6. *Ad vltima verò iam ventum esse testatur nares acutæ, collapsa tempora, oculi concaui, frigidæ languidæque aures & imis partibus leniter versæ, cutis circa frontem dura & intenta, &c.*

Nec tamen [69] omnino temere illis [32] Solibus vlla   69 32
Comparebat auis: nec noctibu' secla ferarum
Exibant syluis, languebant pleraque morbo,
Et [70] moriebantur: cum primis fida [33] canum vis   70 33
Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec [35] ratio remedi communis certa dabatur: 35
Nam [36] quod alijs dederat vitaleis aëris auras   36
Voluere in ore licere, & cæli templa tueri:
Hoc alijs erat [71] exitio, lethumq; parabat.   71
Illud in his [37] rebus miserandũ & magnoperè vnũ   37
Aerumnabile erat, quòd vbi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus vt esset,
Deficiens animo mœsto cum corde iacebat,
Funera respectans, animam & mittebat ibidem.
Idq; vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex alijs alios auidi contagia morbi.
Nam quicunq; [40] suos fugitabant visere ad ægros,   40
Vitaï nimiùm cupidi mortisq; timentes
Pœnibat paulò pòst turpi morte malaq;
Desertos, opis expertes, incuria [34] mactans,   34
[39] Lanigeras tanquam pecudes & bucera secla.   39
Qui [41] fuerant autem præstò contagibus ibant,   41
Atque labore, [43] pudor quem tùm cogebat obire,   43
Blandaq; lassorum vox [44] mista voce querelæ.   44
[42] Optimus hoc lethi genus ergo quisque subibat.   42
Inq; alijs alium populum sepelire suorum
Certantes lacrymis lassi, luctúque redibant.
Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur:

Nec poterat quiſquã reperiri, quem neq; morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Prætereà iam paſtor, & [45] armentarius omnis, 45
Et robuſtus item curui moderator aratri
Languebant: penitusq; caſis [46] contruſa iacebant 46
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris [48] ſuper exanimata parentum 48
Corpora nonnunquam poſſes, retróque videre
Matribus & patribus natos ſuper edere vitam.
Nec minimá [45] partem ex agris ægroris in vrbem 45
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conueniens ex omni morbida parte.
Omnia [46] condebant loca tectis: quò magis æſtus, 46
Confertos ita [47] aceruatim mors accumulabat. 47
Multa ſiti proſtrata viam per, proq; voluta
Corpora [51] ſilanos ad aquarum ſtrata iacebant, 51
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum:
Multaq; per populi paßim loca promta, viasq;
Languida ſemianimo tùm corpore membra videres
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis illuuie: pellis ſuper oßibus vna,
Vlceribus tetris propè iam ſordiq; ſepulta.
Omnia denique [52] ſancta Deûm delubra replerat 52
Corporibus mors exanimis: onerataq; paßim
Cuncta cadaueribus cæleſtûm templa manebant,
Hoſpitibus loca quæ complerant æditueutes.
Nec iam [54] relligio Diuûm, nec numina magni 54
Pendebantur enim: præſens dolor exuperabat.
Nec mos ille [55] ſepulturæ remanebat in vrbe, 55
Quo prius hic populus ſemper conſuerat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & vnus

Quiſq;

Quisq; suum [56] *pro re consortem mœstus humabat.* 56
Multaq; vis subita, & paupertas [57] *horrida suasit:* 57
Nanque suos [58] *consanguineos aliena rogorum* 58
Insuper extructa ingenti clamore locabant,
Subdebantq; faces, multo cum sanguine sæpe
Rixantes potiùs [72] *quàm corpora desererentur.*

Lucretij locum versibus hisce videtur adumbrasse Vergilius tertio Georgicωn.

HIc *quondã* [61] *morbo cæli miseranda coorta est* 61
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu:
Et genus omne neci [76] *pecudum dedit, omne ferarũ:* 76
Corrupitq; [73] *lacus, infecit pabula tabo.* 73
Nec via mortis erat simplex: sed vbi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaq; in se
Ossa [66] *minutatim morbo collapsa trahebat.* 66
Sæpe in honore Deûm medio stans [79] *hostia ad arã,* 79
Linea dum niuea circundatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros:
Aut si quam ferro mactauerat antè sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates.
Ac vix suppositi [80] *tinguntur sanguine cultri,* 80
Summaq; ieiuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis:
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hic [70] *canibus blãdis rabies venit, & quatit ægros* 70
Tußis [65] *anhela sues, ac faucibus angit obesis.* 65
Labitur infœlix studiorum, atque immemor herbæ
Victor [77] *equus: fontesq; auertitur, & pede terrã* 77

Sic Lucr. lib. 6. hæc igitur subitò clades noua, pestilitasq; Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas. Aut alios hominũ pastus, pecudumq; cibatus: Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso.

Crebrò ferit: demissæ aures: incertus ibidem

Hipp. aph. 37. sect. 4. οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον σημαίνουσι. Sic Cels. lib. 2. cap. 6. Sudor quoque frigidus in acuta febre pestiferus est.

[64] Sudor & ille quidē moriturus frigidus: [67] aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante [63] exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu cœpit crudescere morbus,
[4] Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto
[7] Spiritus, interdum gemitu grauis, imaq; longo
Ilia [10] singultu tendunt. it [5] naribus ater
[68] Sanguis, et obsessas fauces premit aspera [62] lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos: ea visa salus morientibus vna.
Mox erat hoc ipsum [71] exitio, furijsq; refecti
Ardebant: ipsiq; suos iam morte sub ægra
(Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro [75] fumans sub vomere taurus
Concidit, & mistum spumis vomit ore cruorem,
Extremosq; ciet gemitus: it tristis arator

Sic Lucr. lib. 1. Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes, Fluminaq; vlla queunt summis labentia ripis Oblectare animum, subitamq; auertere curā.

Mœrentem abiungens fraterna morte iuuencum,
Atq; opere in medio defixa relinquit aratra.
Non vmbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata mouere animum: non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Soluuntur latera, atque oculos stupor vrget inertes,
Ad terramq; fluit deuexo pondere ceruix.
Quid labor, aut benefacta iuuāt? quid vomere terras
Inuertisse graues? atqui non Maßica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus, & victu páscuntur simplicis herbæ.
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubres.

Temp

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis, & vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægrè raſtris terram rimantur, & ipſis
Vnguibus infodiunt fruges monteſq; per altos
Contenta ceruice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ouilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat. timidi [78] damæ, ceruiq; fugaces 78
Nunc interq; canes, & circum tecta vagantur.
Iam maris immẽſi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina phocæ:
Interit & curuis fruſtrà defenſa latebris
Vipera & attoniti ſquammis aſtantibus hydri.
Ipſis [69] eſt aër auibus non æquus, & illæ 69
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Prætereà [35] nec iam mutari pabula refert: 35
Quæſitæq; [1] nocent artes: ceſſere magiſtri, 1
Phyllirides Chiron, Amythaoniuſq; Melampus.
Sæuit & in lucem Stygijs emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone: morbos agit antè, metumq;:
Inq; dies auidum ſurgens caput altiùs effert.
Balatu [74] pecorum & crebris mugitibus amnes, 74
Arenteſq; ſonant ripæ, colleſq; ſupini.
Iãq; [3] [47] cateruatim dat ſtragẽ: atq; aggerat ipſis 3. 47
In ſtabulis turpi dilapſa cadauera tabo:
Donec humo tegere, & foueis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat corijs vſus: nec viſcera quiſquam
Aut vndis abolere poteſt, aut vincere flammis.
Nec tondere quidem morbo illuuieq; pereſa

Sic Hom. Il. α. -- αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. & *rurſũ*, -- οἱ δ' ἐνὶ λαοὶ θνῆσκον ἐπασσύτεροι.

Vellera,

Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus,
Ardentes 73 *papulæ, atq; immundus olentia sudor* 73
64 *Membra sequebatur: nec longo deinde moranti* 64
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

Sic rursum P. Virgilius tertio lib. Æneidos.

--subitò 74 *cùm tabida membris* 74
Corrupto cæli tractu miserandaq; venit,
Arboribusq; satisq; lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora, tùm steriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.

Sic Lucr. Dulcia linquebant lamentis lumina vitæ.

Locum de pestilentia sic est imitatus Ouidius septimo lib. Metamorph.

Dira lues populis ira 81 *Iunonis iniquæ* 81
Incidit exosæ dictas à pellice terras.
Dum 1 *visum est mortale malum, tantæq; latebat* 1
Causa nocens cladis, pugnatum est arte medendi,
Exitium superabat opes, victæq; iacebant.
Principiò cælum spissa 82 *caligine terras* 82
Pressit, & ignauos inclusit nubibus æstus:
Dumq; quater plenis expleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Lethiferis calidi spirarunt æstibus Austri.
Constat & in fontes 73 *vitium venisse, lacusq;,* 73
Milliaq; incultos serpentum multa per agros

Erras

Erraſſe, atque ſuis fluuios temeraſſe venenis,
Strage canũ[74] [33] primò, volucrumq́, auiumq́, boumq́, 74. 33

Sic Hom. 1. Il. οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς.

Inq́ feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.
Concidere infœlix [75] validos miratur arator 75
Inter opus tauros, medioq́ recumbere ſulco.
Lanigeris [76] gregibus balatus dantibus ægros, 76
Sponte ſua lanæq́ cadunt, & corpora tabent.
Acer [77] equus quonda, magnæq́ in puluere famæ, 77
Degenerat: palmæ veterumq́ oblitus honorum,
Ad præſepe gemit, letho moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit nec fidere [78] curſu 78
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrſi.
Omnia [50] languor habet, ſyluis agriſq́, viſq́ 50
Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira [30] loquor, non illa canes, auidæq́ volucres, 30
Non cani tetigere lupi: dilapſa liqueſcunt,
Afflatuq́ nocent, & agunt contagia latè.
Peruenit ad miſeros damno grauiore [45] colonos 45
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus vrbis.
Viſcera torrentur [14] primò, flammiſq́ fatiſcunt. 14
Indicium rubor eſt, & ductus [83] anhelitus igni. 83
Aſpera [6] lingua tumet, tepidiſq́ arentia ventis 6
Ora patent, auræq́ graues [7] captantur hiatu. 7
Non ſtratum, non vlla [15] pati velamina poſſunt: 15
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet.
Nec [35] moderator adeſt, inq́ ipſos [1] ſæua medentes 35. 1
Erumpit clades, obſuntq́ autoribus artes.
Quò propior quiſque eſt, ſeruitq́ fidelius ægro,
In partem lethi citius venit, atq́ ſalutis

Spes

Spes [14] abijt, finemq́ vident in funere morbi. 14
[59] Indulget animus, nec vlla qd[60] vtile cura est: 59.60
Vtile enim nihil est: paßim positoq́ pudore
Fontibus & fluuijs,[51] puteisq́ capacibus hærent. 51
Nec sitis est extincta [59] prius, quàm vita bibendo.
Inde graues morbo nequeunt consurgere, & ipsis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.
Tantaq́ sunt miseris inuisi tædia lecti.
Prosiliunt, aut, si prohibent consistere vires,
Corpora [50] deuoluunt in humũ, fugiuntq́ penates 50
Quisque suos, sua cuiq́ domus funesta videtur.
Et quia causa latet, locus est in crimine notus.
Semianimes errare vijs, dum stare valebant
Aspiceres, flentes alios, terraq́ iacentes,
Lassaq́ versantes supremo lumina motu.
Membraq́ pendentis tendunt ad sydera cæli,
Hîc, illîc, vbi [53] mors deprenderat, exhalantes. 53
Quid mihi tunc animi fuit, aut quid debuit esse?
Vt vitam odissem, & cuperem pars esse meorum.
Quò se cunque acies oculorum fixerat, illîc
Vulgus erat [48] stratum, veluti cùm putria motis 48
Poma cadunt ramis, agitataeq́ ilice glandes.
Templa vides contrà gradibus sublimia longis,
Iuppiter illa tenet. quis non altaribus illis
Irrita thura dedit? quoties pro coniuge coniux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dixit,
Non exoratis animam finiuit in aris,
Inq́ manu thuris pars inconsumpta reperta est?
Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato [79] ceciderunt vulnere tauri! 79

Ipse

Ipse ego sacra Ioui pro me, patriaq; tribusq;
Cùm facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, & subitò collapsa sine ictibus vllis
Exiguo tinxit [80] *subiectos sanguine cultros:* 80
Fibra quoq; ægra notas veri monitusq; Deorum
Perdiderat, tristes penetrant ad viscera morbi.
Ante sacros vidi proiecta cadauera postes,
Ante ipsas, quò mors foret inuidiosior, aras.
Pars animam laqueo claudunt, mortisq; timorem
Morte fugant, vltroq; vocant venientia fata.
Corpora missa [55] *neci nullis de more feruntur* 55
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ:
Aut [31] *inhumata premunt terras, aut dantur in altos* 31
Indotata rogos, & iam [49] *reuerentia nulla est.* 49
Deq; rogis [72] *pugnant,* [58] *alienisq; ignibus ardent.* 72. 58
Qui [44] *lacryment desunt, indefletæq; vagantur* 44
Natorum matrumq; animæ, iuuenumq; senumq;
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.

Silij Italici conatus ex lib. decimoquarto belli Punici.

NEc mora, quin trepidos hac clade irrumpere muros
Signaq; ferre Deûm templis iam iamq; fuisset:
Ni subitò importuna lues, inimicaq; pestis
Inuidia [81] *Diuûm pelagiq; labore parata* 81
Polluto miseris rapuisset gaudia cæli.
Criniger astriferis Titan feruoribus auras,
Et patulam Cyanen lateq; palustribus vndis

Stagn

Stagnantem Stygio Cocyti oppleuit odore,
Temporáque Autumni latis florentia donis
Fœdauit, rapidóque accendit fulminis igni.
Fumabat crassus[82] *nebulis caliginis aër:* 82
Squallebat tellus vitiato feruida dorso,
Nec victum dabat aut vllas languentibus vmbras:
Atq; ater piceam vapor expirabat in æthram.
Vim primi[74, 33] *sensere canes: mox nubibus atris* 74.33
Fluxit deficiens penna labente volucris:
Inde feræ[70] *syluis sterni: tùm serpere labes* 70
Tartarea, atq;[3] *haustis popularis castra maniplis.* 3
[6] *Arebat lingua, & gelidus per viscera*[64] *sudor* 6.64
Corpore manabat[85] *tremulo: descendere fauces* 85
Abnuerant siccæ iussorum alimenta ciborum.
Aspera[65] *pulmonem tussis quatit, & per anhela* 65
Igneus efflatur[83] *sitientum spiritus ora.* 83
Lumina[84] *ferre grauem vix sufficientia lucem.* 84
[86] *Vnca narc iacent, saniésque immista cruore* 86
[65] *Expuitur, membrísq; cutis tegit*[87] *ossa peresis.* 65 87
Heu dolor! insignis[77] *notis bellator in armis* 77
Ignauo rapitur letho: iactantur in ignem
Dona superba virûm multo Mauorte parata.
Succubuit[1] *medicina malis: cumulantur acerui* 1
Labentum, & magno cineres sese aggere tollunt.
Passim etiã[88] *deserta*[3] *iacent, inhumatáq; latè* 88.3
Corpora, pestiferos tetigisse timentibus artus:
Serpit pascendo crescens Acherusia pestis,
Nec leuiore quatit Trinacria mœnia luctu,
Pœnorúmque parem castris fert atra laborem,
Aequato par exitio, & communis vbique
Ira Deûm, atque eadem lethi versatur imago.

Lucanus eiusdem materiæ summam ita percurrit lib. sexto de bell. ciuil.

Corpora tùm soluit tabes, & digerit artus.
Traxit iners cælum fluidæ contagia pestis
Obscuram in nubem. tali spiramine Nessus
Emittit Stygium nebulosis aëra saxis,
Antráque lethiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, cælóque paratior vnda
Omne pati virus, durauit viscera cœno.
Iam riget atra cutis, distentáque lumina rumpit:
Igneáque in vultus & sacro feruida morbo
Pestis abit, fessúmque caput se ferre recusat.
Iam magis atque magis præceps agit omnia fatum:
Nec medij dirimunt morbi vitámque necémque,
Sed languor cum morte venit: turbáque cadentum
Aucta lues, dum mista iacent incondita viuis
Corpora. nam miseros vltra tentoria ciues
Spargere funus erat, &c.

Τῷ Θεῷ δόξα εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

RERVM MEMORABILIVM hoc opusculo contentarum Index Alphabeticus.

*

Ant

Cau


Oxyl

Troch.

FINIS.

ERRATA SIC RESTITVITO.

Pag. 12.*lin.*4.proprias *p.*26.*l.*10.cochlides. *p.*26. *l.*15. compoſitæ ex. *p.*64.*l.*29. aërem aut aëris certè partem aliquam. *p.*73.*l.*17. maximéque allij, cæpæ, porri, braſ. *p.*74.*l.*2. Sic & piſcium in littus eiectorum ibidémque putrentium, locuſt. *p.*76.*l.*23.priuantur effluuioq; carent. *p.* 94.*l.* 23. Proximam autem p.128.l.13.omnium. *ibid.l.vlt.* Sanguis abſque ægri leuamine ex ore *p.*129.*l.*9. teſtantur perſeuerans delirium, aſſid. *p.*138.*l.*19.in aduerſis. *p.*193.*l.*12. καθαρτικὰ pleraque *ibid.l.*19.per quos. *p.*207.*l.*6.eſſe ea ratione alien. *p.*233.*l.*4.etiam Dictamum *p.*236. *l.*26.atque ita momento aceti addito bub. *p.*269.*l.*1. credunt obſiſtere. *p.*323.*l.*13.quæ auro obuolutæ deglutiantur *p.*330.*l.*12.*dele*,rad.angelicæ *p.*356.*l.*7. Finibu' Cecropiis *p.*367.*l.*24.iam iamq; fuiſſet:



V 584 Brunet

o.c cpl. ll.
marque typ. à
la dern. page